R 3507

Amsterdam
1663

Spinoza, Baruch, dit Benedictus de

Renati Des Cartes principiorum philosophiae pars I. et II.

1248

9th

Exp. 8. 23. 05

R 1101
A

RENATI DES CARTES

PRINCIPIORUM PHILOSOPHIÆ

Pars I, & II,

More Geometrico demonſtratæ

PER

BENEDICTUM de SPINOZA *Amſtelodamenſem.*

Acceſſerunt Ejuſdem

COGITATA METAPHYSICA,

In quibus difficiliores, quæ tam in parte Metaphyſices generali, quàm ſpeciali occurrunt, quæſtiones breviter explicantur.



BIBL. SEM. AMST.

AMSTELODAMI,

Apud JOHANNEM RIEWERTS, *in vico vulgò dicto*, de Dirk van Aſſen-ſteeg, *ſub ſigno Martyrologii.* 1663.

CANDIDO
LECTORI
S. P. D.
LUDOVICUS MEYER.

Mathematicorum in Scientiis investigandis, ac tradendis Methodum, quâ nempe ex Definitionibus, Postulatis, atque Axiomatis Conclusiones demonstrantur, optimam esse tutissimamque veritatis indagandæ atque docendæ viam, omnium, qui supra vulgus sapere volunt, unanimis est sententia. Et quidem jure merito. Etenim, cum omnis rei ignotæ certa ac firma cognitio non, nisi ex certò præcognitis, hauriri ac derivari queat, hæc necessariò ab imo præstruenda erunt, tanquam stabile fundamentum, cui postmodùm, ne sponte subsidat, aut minimo impetu pessum eat, totum cognitionis humanæ ædificium superimponatur. Istius autem notæ esse, quæ passim Matheseos cultoribus nomine Definitionum, Postulatorum, atque Axiomatum venire solent, nemini dubium esse poterit, qui nobilem istam disciplinam a limine tantùm salutaverit. Definitiones enim nihil aliud sunt, quàm terminorum atque nominum, quibus res tractandæ designantur, apertissimæ explicationes: Postulata autem, & Axiomata, seu communes animi Notiones adeò claræ atque perspicuæ sunt Enunciationes, ut iis omnes, qui ipsa vocabula solummodò rectè intellexerint, assensum negare nequaquam possint.

Verumenimverò, quamvis hæc ita se habeant, nullas tamen, si Mathematicas excipias, ferè disciplinas eâ Methodo conscriptas reperies; sed aliâ toto pœnè cælo ab hac diversâ, quâ nempe per Definitiones, & Divisiones, inter se continuò concatenatas, atque hinc inde quæstionibus atque explicationibus

cationibus intermixtas, totum abſolvitur negotium. Judicarunt enim fermè omnes, ac etiamnum judicant multi, qui ſcientiis conſtituendis, conſcribendiſque animum adjecerunt, Methodum iſtam Mathematicis diſciplinis eſſe peculiarem, reliquaſque omnes illam reſpuere, atque aſpernari. Unde factum, ut, quæcunque in medium adducunt, nullis apodicticis rationibus demonſtrent, ſed tantùm veriſimilitudinibus, probabilibuſque argumentis adſtruere conentur, magnam eâ ratione magnorum librorum farraginem in lucem protrudentes, in quibus nihil ſtabilis invenias atque certi; ſed omnia contentionis atque diſſidii plena, &, quod ab uno ratiunculis quibuſdam levibus utcunque confirmatum eſt, mox ab alio confutatum, ac iiſdem armis dirutum atque diſjectum: adeò ut immotæ veritatis avida mens, ubi tranquillum ſtudii ſui ſtagnum, quod tutò & proſpero curſu trajicere, ac quo trajecto tandem optato cognitionis portu potiri poſſet, invenire putarât, in opinionum impetuoſo ſe fluctuantem videat mari, ac tempeſtatibus contentionum undique circumcinctam, incertitudinumque fluctibus indeſinenter, ſine ulla ex iis unquam emergendi ſpe, jactatam atque abreptam.

Non defuere tamen aliqui, qui ab his ſeorſim ſenſerunt, atque hanc miſerimam Philoſophiæ ſortem miſerati, ab iſta communi, & ab omnibus trita ſcientias tradendi via receſſerunt, ac novam eamque ſanè arduam multiſque difficultatibus ſcatentem ingreſſi ſunt, ut reliquas, ultra Matheſin, Philoſophiæ partes Methodo atque certitudine mathematica demonſtratas poſteritati relinquerent. Quorum alii jam receptam, & in ſcholis doceri ſolitam, alii novam, proprio marte adinventam, iſtum in ordinem redegerunt Philoſophiam, atque orbi literario propinarunt. Et, quamvis diu multiſque labor iſte irrito ſucceſſu ſuſceptus fuerit, exortum tamen fuit tandem ſplendidiſſimum illud ſæculi noſtri jubar Renatus Des Cartes, qui poſtquam in Matheſi quicquid veteribus inacceſſum fuerat, quicquid inſuper à Coætaneis ſuis deſiderari poſſet, nova Methodo è tenebris in lucem protraxerat, Philoſophiæ fundamenta inconcuſſa eruit, quibus plurimas veritates ordine ac certitudine Mathematica ſuperſtrui poſſe, & ipſe revera demonſtravit. & omnibus, qui illius ſcriptis nunquam ſatis laudandis animum ſedulò applicuerunt, luce Meridiana clarius apparet.

Et quamvis Nobiliſſimi atque Incomparabilis hujus Viri ſcripta Philoſophica Mathematicam demonſtrandi rationem ac ordinem contineant, non

tamen

tamen iſta communi, ac in Elementis Euclideis, cæteriſque Geometris uſitata, qua nempe præmiſſis Definitionibus, Poſtulatis ac Axiomatibus Propoſitiones earumque Demonſtrationes ſubjunguntur, exarata ſunt; ſed alia multùm ab hac diverſa, quam ipſe, & veram optimamque ad docendum viam, & Analyticam *vocat. Duplicem enim in fine* Reſponſ. ad ſecund. Objection. *apodictice demonſtrandi rationem agnoſcit; unam per Analyſin,* quæ veram viam oſtendit, per quam res methodicè, & tanquam à priori inventa eſt, &c. *alteram per Syntheſin,* quæ utitur longâ definitionum, petitionum, axiomatum, theorematum, & problematum ſerie, ut ſi quid ipſi ex conſequentibus negetur, id in antecedentibus contineri ſtatim oſtendat, ſicque à lectore quantumvis repugnante ac pertinaci aſſenſionem extorqueat. &c.

Verumtamen, licet in utraque demonſtrandi ratione certitudo, quæ extra omnem dubitationis aleam poſita eſt, reperiatur, non omnibus utraque æquè utilis atque commoda exiſtit. Plurimi enim Mathematicarum ſcientiarum plane rudes, adeòque Methodi, qua illæ conſcriptæ ſunt, Synthetica, & qua inventæ ſunt, Analytica prorſus ignari, res, quæ his in libris pertractantur, apodictice demonſtratas, nec ſibimet ipſis aſſequi, nec aliis exhibere queunt. Unde factum, ut multi qui aut cæco impetu abrepti, aut aliorum auctoritate ducti, Carteſio nomen dederunt, ejus ſententiam, atque dogmata tantummodò memoriæ impreſſerunt, ac, ubi de iis ſermo incidit, ſolùm effutire, multaque de iſtis garrire, nihil autem demonſtrare ſciant, quemadmodum olim fuit & adhuc hodie Peripateticæ Philoſophiæ addictis ſolenne eſt. Quocircà, ut his aliquid ſubſidii adferretur, ſæpenumerò optavi, aliquem tàm Analytici, quàm Synthetici ordinis peritum, ac in ſcriptis Carteſii apprimè verſatum, illiuſque Philoſophiæ penitùs gnarum, manum operi admovere, & quæ ille ordine Analytico conſcripſerat, in Syntheticum redigere, ac more Geometris familiari demonſtrare velle. Imò ipſe, quamvis meæ tenuitatis abundè conſcius, ac tanto operi longè impar ſim, id ipſum tamen præſtare ſæpe in animum meum induxi, quin etiam aggreſſus fui: ſed aliæ, quibus ſæpiſſimè diſtrahor, mihi illud peragendi viam obſeſſerunt occupationes.

Gratiſſimum itaque mihi accidit ex Authore noſtro intelligere, ſe diſcipulo cuidam ſuo, dum eum, Carteſii Philoſophiam docuit,

Secundam Principiorum partem integram, ac partem Tertiæ, more illo Geometrico demonſtratas, nec non præcipuas difficilioreſque, quæ in Metaphyſicis ventilantur, quæſtiones, ac à Carteſio nondum enodatas, dictaſſe: atque hæc unà, à ſe correcta, atque aucta ut lucem aſpicerent, amicis id ſummopere expetentibus atque extorquentibus, conceſsiſſe: Unde etiam ego idem id probavi, ſimulque operam meam, ſi ea in edendo egeret, ex animo obtuli, ac ſuaſi præterea, imo rogavi, ut primam quoque Principiorum partem ſimulem redigeret in ordinem, ac his præmitteret, quò ab ovo res hoc modo diſpoſita, & meliùs intelligi, & magis placere poſſet; quod, cum ſumma ratione niti videret, & amici precibus, & lectoris utilitati denegare noluit; meiſque inſuper curis totum tàm impreſsionis, cum procul ab urbe ruri degat, adeóque illi adeſſe non poſſit, quàm editionis negotium commiſit.

Hæc igitur ſunt, quæ tibi, candide Lector, damus hoc in libello: nempe Renati Des Cartes primam & ſecundam Principiorum Philoſophiæ partes, unà cum fragmento tertiæ, quibus noſtri Authoris Cogitata Metaphyſica, nomine Appendicis, ſubjunximus. At verò primam Principiorum partem cùm hic & vos dicimus, & libelli Titulus promittat, id non ita intellectum volumus, ac ſi omnia, quæ in ea à Carteſio dicta ſunt, hic Geometrico ordine demonſtrata exhiberentur: ſed tantùm denominationem à potiori fuiſſe deſumptam, adeóque præcipua, quæ ad Metaphyſicam ſpectant, & in Meditationibus ſuis tractavit Carteſius (cæteris omnibus, quæ ſunt Logicæ conſiderationis, & tantùm hiſtoricè narrantur ac recenſentur, prætermiſsis) inde eſſe decerpta, quæ etiam quò faciliùs abſolveret Author, huc verbotenus ferè omnia illa, quæ ſub finem Reſp. ad ſecund. Object. *Geometrico ordine diſpoſita habet Carteſius, tranſtulit; omnes quidem illius Definitiones præmittendo, ac Propoſitiones ſuis inſerendo; At Axiomata non continuò Definitionibus ſubnectendo; ſed poſt quartam demum Propoſitionem interponendo, eorumque ordinem, quò faciliùs demonſtrari poſſent, immutando, ac quædam, quibus non egebat, omittendo. Et quamvis hæc Axiomata (ut etiam habet ipſe Carteſius poſtulat. 7.) inſtar Theorematum demonſtrari, ac etiam concinniùs nomine Propoſitionum venire poſſe, Authorem noſtrum non fugiat, noſque etiam, ut id effectum daret, petierimus;*

majora

majora tamen, quibus eſt implicitus, negotia ei tantùm duarum, quibus hoc opus abſolvere coactus fuit, ſeptimanarum ocium conceſſerunt, adeòque in cauſa fuere, quò minùs & ſuo & noſtro deſiderio ſatisfacere potuerit: ſed brevem duntaxat ſubnectens explicationem, quæ demonſtrationis vicem ſubire poteſt, majorem ac omnibus numeris abſolutam in aliud tempus rejecerit; ſi fortè poſt hanc diſtractam impreſsionem nova adornaretur, ad quam augendam conabimur etiam ab ipſo impetrare, ut totam tertiam Partem de Mundo aſpectabili (cujus tantùm adjunximus fragmentum, cùm Author hic inſtitutioni finem impoſuerit, & nos eo, quantulumcunque ſit, lectorem privare noluerimus) abſolvat. Atque hoc ut debito modo perficiatur, hinc inde in ſecundâ Parte quædam de Fluidorum natura & proprietatibus Propoſitiones interſpargendæ erunt, quod ut Author tum exſequatur, pro virili adnitar.

Nec tantum in Axiomatibus proponendis, explicandiſque; ſed etiam in ipſis Propoſitionibus, cæteriſque Concluſionibus demonſtrandis a Carteſio ſapiſsimè recedit, ac Apodeixi, longè ab illius diverſa, utitur noſter Author. Quod ſanè nemo ita interpretetur, ac ſi clariſsimum illum Virum in iis corrigere vellet: ſed eum in finem tantum factum putet, ut ſuum jam receptum ordinem melius retinere poſſet, nec Axiomatum numerum nimiùm augeret. Quæ eadem etiam de cauſa quamplurima, quæ Carteſius ſine ulla demonſtratione propoſuit, demonſtrare, & quæ planè prætermiſit, addere coactus fuit.

Animadverti tamen vel imprimis velim in his omnibus, nempe tam in 1 *&* 2 *Princip. partibus, ac fragmento tertiæ, quàm in Cogitatis ſuis Metaphyſicis Authorem noſtrum meras Carteſii ſententias, illarumque demonſtrationes, prout in illius ſcriptis reperiuntur; aut quales ex fundamentis ab illo jactis per legitimam conſequentiam deduci debebant, propoſuiſſe. Cum enim diſcipulum ſuum Carteſii Philoſophiam docere promiſiſſet, religio ipſi fuit, ab ejus ſententia latum unguem diſcedere, aut quid, quod ejus dogmatibus aut non reſponderet, aut contrarium eſſet, dictare. Quamobrem judicet nemo, illum hic, aut ſua, aut tantum ea, quæ probat, docere. Quamvis enim quædam vera judicet, quædam de ſuis addita fateatur; multa tamen occurrunt, quæ tanquam falſa rejicit, & à quibus longè diverſam fovet ſententiam.*

tiam. Cujus notæ inter aliâ, ut ex multis unum tàntùm in medium afferam, ſunt, quæ de voluntate habentur Schol. Prop. 15. part. 1. Principior. & Cap. 12. part. 2. Appendic. *quamvis ſatis magno molimine atque apparatu probata videantur: Neque enim eam diſtinctam ab Intellectu, multò minus tali prædi:am eſſe libertate exiſtimat. Etenim in his aſſerendis, ut ex* Diſſertat. de Method. part. 4. & Meditat. 2, *aliſque locis liquet, tantùm ſupponit, non probat Carteſius, mentem humanam eſſe ſubſtantiam abſolutè cogitantem. Cum contrà Author noſter admittat quidem, in Rerum natura eſſe ſubſtantiam cogitantem: attamen neget illam conſtituere eſſentiam Mentis humanæ, ſed ſtatuat, eodem modo, quo Extenſio nullis limitibus determinata eſt, Cogitationem etiam nullis limitibus determinari; adeòque, quemadmodum Corpus humanum non eſt abſolutè, ſed tantùm certo modo ſecundùm leges naturæ extenſæ per motum & quietem determinata extenſio; ſic etiam Mentem ſive Animam humanam non eſſe abſolutè, ſed tantùm ſecundùm leges naturæ cogitantis per ideas certo modo determinatam cogitationem; quæ neceſſariò dari concluditur, ubi corpus humanum exiſtere incipit. Ex quâ definitione, non difficile demonſtratu eſſe putat, Voluntatem ab intellectu non diſtingui, multò minùs eâ, quam illi Carteſius adſcribit, pollere libertate; quin imò ipſam affirmandi & negandi facultatem prorſus fictitiam; id autem affirmare & negare nihil præter ideas eſſe; cæteras vero facultates, ut Intellectum, Cupiditatem, &c. in numerum figmentorum, aut ſaltem illarum notionum reponi debere, quas homines ex eo, quod res abſtractè concipiunt, formaverunt, quales ſunt, humanitas, lapideitas, & id genus aliæ.*

Prætereundum etiam hic nequaquam eſt, in eundem cenſum venire debere, hoc eſt, ex Carteſii mente tantùm dici, quod aliquibus in locis reperitur, nempe hoc aut illud captum humanum ſuperare. *Neque enim hoc ita accipiendùm, ac ſi ex propriâ ſententiâ talia proferret noſter Author. Judicat enim iſta omnia, ac etiam plura alia magis ſublimia, atque ſubtilia non tantùm clarè ac diſtinctè a nobis concipi, ſed etiam commodiſsime explicari poſſe: ſi modo humanus Intellectus alia via, quàm quæ a Carteſio aperta, atque ſtrata eſt, in veritatis inveſtigationem, rerumque cognitionem deducatur: atque adeò ſcientiarum fundamenta à Carteſio eruta, & quæ*

iis

iis ab ipſo ſuperædificata ſunt, non ſufficere ad omnes ac difficillimas, quæ in Metaphyſicis occurrunt, quæſtiones enodandas atque ſolvendas: ſed alia requiri, ſi ad illud cognitionis faſtigium intellectum noſtrum cupimus evehere.

Denique (ut præfandi finem faciam) Lectores non ignorare volumus, omnes hos tractatus, nullum alium in finem, quàm veritatis indagandæ, atque propagandæ, hominesque ad veræ ac ſinceræ Philoſophiæ ſtudium incitandi gratiâ, evulgari; adeóque omnes, antequam ſe lectioni accingant, ut ex ea uberem, quem cuique ex animo optamus, fructum capere queant, ſedulò monitos, ut omiſſa quædam ſuis locis inſerant, & menda Typographica, quæ irrepſerunt, accuratè corrigere velint: talia enim quædam inter ea ſunt, quæ obicem ponere poſſent, quò minùs Demonſtrationis vis, & Authoris mens rectè perciperetur, ut quilibet ex eorum inſpectione facilè deprehendet.

ERRATA.

Pag. 2. lin. 5. pro *Diſgnoſcere* lege *dignoſcere*. pag. 4. lin. penultim. pro *Methodus* lege *Methodi*. pag. 6. lin. 16. pro *poterit. Claraſque* lege *poterit; claraſque*, pag. 11. lin. 23. pro *exiſtere* lege *eſſe*. & lin. penultim. & ultim. pro *in dubium revocari poſſet* lege *omnia in dubium revocari poſſent*. pag. 15. lin. 5. pro *objectiæ* lege *objectivæ*. pag. 17. quæ in margine habentur, referantur ad hæc verba: *poſſum enim cogitationem &c.* pag. 24. lin. 22. pro *impoſſibilem*, lege *abſolutè impoſſibilem*. pag. 25. lin. 9. pro 7 lege 6. & lin. 20. poſt *poſſibiliter* adde (*Vide Axiom.* 7.). pag. 31. quæ in margine habentur, referantur ad hæc verba; *& cum omnis deceptio &c.* pag. 28. lin. 5. pro 7 lege 17. pag. 29. lin. 22. pro 10 lege 26. pag. 42. lin. penultim. pro *motis* lege *moto*. pag. 45. lin. 10. pro *ſi a B verſus C* lege *ſi contrario impulſu*. & lin. 13. pro *motus* lege *modos*. pag. 48. lin. 10. poſt *eſſentia* adde (*per coroll. propoſ.* 17. *part.* 1.) & lin. 13. poſt *cogitantes* adde (*per prop.* 17. *part.* 1.) pag. 51. lin. 11. poſt *ſpatia*, adde *immediatè ſequentia*. pag. 54. lin. 22. pro *A* lege *H*. pag. 62. lin. ult. pro *movetari* lege *moveri*. pag. 66. lin. 7 pro *determinabit* lege *continuo determinabit*. pag. 67. lin. 21. pro *moveri* lege *in directum moveri*. pag. 68. lin. 1. & pag. 72. lin. 4. & pag. 79. lin. 20. poſt *partem* adde *non vero verſus ullam aliam*. pag. 73. lin. 14. pro 4. lege 3. & lin. 21. pro *coroll. prop.* lege *coroll. 1. prop.* pag. 74. lin. 23. & 24. dele *& quietis*. pag. 80. lin. 13. pro 29. lege 20. pag. 87. lin. 15. pro *ſic* lege *ſit*. pag. 93. lin. antepenult. pro 4. lege 15. pag. 94. in margine pro *negationes* lege *Enunciationis*. pag. 66. lin. 16. pro. *Ei* lege *Si*.

Ad

Ad Librum.

INgenio ſeu te natum meliore vocemus,
Seu de Carteſii fonte renatus eas,
Parve Liber, quidquid pandas, id ſolus habere
Dignus, ab exemplo laus tibi nulla venit.
Sive tuum ſpectem genium, ſeu dogmata, cogor
Laudibus Authorem tollere ad aſtra tuum.
Hactenus exemplo caruit, quod præſtitit; at tu
Exemplo haud careas, obſecro parve Liber;
Spinozæ at quantum debet Carteſius uni,
Spinoza ut tantum debeat ipſe ſibi.

I. B. M. D.

IN-

INDEX

Propoſitionum, Lemmatum, & Corollariorum,

Quæ in 1. 2. & 3. Principiorum Philoſophiæ partibus continentur.

PARS I.

1. Prop. *De nulla re poſſumus abſolutè eſſe certi, quamdiu neſcimus nos exiſtere.* 11
2. Ego ſum *debet eſſe per ſe notum.* 12
3. Ego, *quatenus res conſtans corpore*, ſum, *non eſt primum, nec per ſe cognitum.* ibid.
4. Ego ſum *non poteſt eſſe primum cognitum, niſi quatenus cogitamus.* ibid.
Cor. *Mens notior eſt corpore.* 13
5. *Dei exiſtentia ex ſola ejus naturæ conſideratione cognoſcitur.* 18
6. *Dei exiſtentia ex eo ſolo, quod ejus idea ſit in nobis, à poſteriori demonſtratur.* 19
7. *Dei exiſtentia demonſtratur etiam ex eo, quod nos ipſi habentes ejus ideam exiſtamus.* 20
Lem. 1. *Quò res ſuâ naturâ perfectior eſt, eò majorem exiſtentiam, & magis neceſſariam involvit; & contrà, quò magis neceſſariam exiſtentiam res ſua natura involvit, eò perfectior eſt.* 24
Coroll. *Quicquid neceſſariam exiſtentiam involvit, eſt Deus.* 25
Lem. 2. *Qui potentiam habet ſe conſervandi, ejus natura neceſſariam involvit exiſtentiam.* ibid.
Corol. *Deus poteſt efficere id omne, quod clarè percipimus, prout id ipſum percipimus.* 26
8. *Mens & corpus realiter diſtinguuntur.* 27
9. *Deus eſt ſummè intelligens.* ibid.
10. *Quicquid perfectionis in Deo reperitur, à Deo eſt.* 28
11. *Non dantur plures Dii.* 29
12. *Omnia quæ exiſtunt, à ſola vi Dei conſervantur.* ibid.
Cor. 1. *Deus eſt omnium rerum Creator.* 30
Cor. 2. *Res nullam ex ſe habent eſſentiam, quæ ſit cauſa cognitionis Dei: ſed contrà, Deus eſt cauſa rerum, etiam quoad earum eſſentiam:* ibid.
Cor. 3. *Deus non ſentit, nec propriè percipit.* 31
Cor. 4. *Deus eſt cauſalitate prior rerum eſſentia & exiſtentiâ.* ibid.
13. *Deus eſt ſummè verax.* ibid.
14. *Quidquid clarè, & diſtinctè percipimus, verum eſt.* ibid.
15. *Error non eſt quid poſitivum.* 32
16. *Deus eſt incorporeus.* 36
17. *Deus eſt ens ſimpliciſſimum.* 37
Cor. *Dei intelligentia, voluntas, ſeu Decretum & Potentia, non diſtinguuntur, niſi rationis ab ejus eſſentiâ.* ibid.
18. *Deus eſt immutabilis.* 38
19. *Deus eſt æternus.* ibid.
20. *Deus omnia ab æterno præordinavit.* ibid.
Cor. *Deus eſt ſummè conſtans in ſuis operibus.* 39
21. *Subſtantia extenſa in longum, latum, & profundum revera exiſtit: Neſque uni ejus parti ullus eſt finis.* ibid.

PARS II.

Lem. 1. *Ubi datur extenſio ſive Spatium, ibi datur neceſſariò Subſtantia.* 45
Lem. 2. *Rarefactio & Condenſatio clarè & diſtinctè à nobis concipiuntur; quamvis non concedamus, corpora in rarefactione majus ſpatium occupare, quam in condenſatione.* 46
1. Prop. *Quamvis duritiei, ponderis & reliquæ ſenſiles qualitates à corpore aliquo ſeparentur, integra remanebit nihilominus natura corporis.* ibid.
2. *Corporis ſive Materiæ natura in ſola extenſione conſiſtit.* 47

Cor. *Spatium & Corpus in re non differunt. ib.*
3. *Repugnat, ut detur vacuum.* 48
4. *Una pars corporis non majus ſpatium occupat imâ vice, quàm aliâ, & contrà idem ſpatium imâ vice non plus corporis continet, quam aliâ.* 49
Cor. *Corpora, quæ æquale ſpatium occupant, putà aurum & aër, æque multum materiæ, ſive ſubſtantiæ corpoream habent. ibid.*
5. *Nullæ dantur Atomi.* 50
6. *Materia eſt indefinite extenſa, materiaque cœli, & terræ ima eademque eſt.* 51
7. *Nullum corpus locum alterius ingreditur, niſi ſimul illud alterum locum alicujus alterius corporis ingrediatur.* 56
8. *Cum corpus aliquod locum alterius ingreditur, eodem temporis momento locus ab eo derelictus ab alio corpore occupatur, quod ipſum immediatè tangit. ibid.*
Cor. *In omni motu integer Circulus corporum ſimul movetur.* 58
9. *Si canalis ABC circularis ſit aqua plenus, & in A ſit quadruplo latior, quam in B, eo tempore, quo illa aqua (vel aliud corpus fluidum) quæ eſt in A verſus B incipit moveri, aqua, quæ eſt in B quadruplo celerius movebitur. ibid.*
10. *Corpus fluidum, quod per Canalem ABC movetur, accipit indefinitos gradus celeritatis.* 59
11. *In materia, quæ per canalem ABC fluit, datur diviſio in particulas indefinitas. ibid.*
12. *Deus eſt cauſa principalis motus.* 60
13. *Eandem quantitatem motus & quietis, quam Deus ſemel materiæ impreſſit, etiammum ſuo concurſu conſervat. ibid.*
14. *Unaquæque res, quatenus ſimplex & indiviſa eſt, & in ſe ſolâ conſideratur, quantum in ſe eſt, ſemper in eodem ſtatu perſeverat.* 61
Cor. *Corpus, quod ſemel movetur, ſemper moveri pergit, niſi à cauſis externis retardetur.* 62
15. *Omne corpus motum ex ſe ipſo tendit, ut ſecundum lineam rectam, non vero curvam pergat moveri. ibid.*
Cor. *Omne corpus, quod ſecundum lineam curvam movetur, continuo à linea, ſecundum quam ex ſe pergeret moveri, deflectit; idque vi alicujus cauſæ externæ.* 63
16. *Omne corpus quod circulariter movetur, ut lapis ex. gr. in fundâ; continuo determinatur, ut ſecundum tangentem pergat moveri. ibid.*
17. *Omne corpus, quod circulariter movetur, conatur recedere à centro circuli, quem deſcribit.* 66
18. *Si corpus aliquod, putà A, verſus aliud corpus quieſcens B moveatur, nec tamen B propter impetum corporis A aliquid ſuæ quietis amittat; neque etiam A ſui motus aliquid amittet; ſed eandem quantitatem motus, quam antea habebat, prorſus retinebit.* 67
19. *Motus, in ſe ſpectatus, differt à ſua determinatione verſus certam aliquam partem: neque opus eſt, corpus motum, ut in contrariam partem fixatur ſive repellatur, aliquamdiu quieſcere. ibid.*
Cor. *Motus non eſt motui contrarius.* 68
20. *Si corpus A corpori B occurrat, & ipſum ſecum rapiat; tantum motus, quantum B propter occurſum A ab ipſo A acquirit, de ſuo motu A amittet.* 68
21. *Si corpus A duplo majus ſit, quam B, & æquè celeriter movetur; habebit etiam A duplo majorem motum, quam B, ſive vim ad æqualem celeritatem cum B retinendam. ibid.*
22. *Si corpus A æquale ſit corpori B, & A duplo celerius, quàm B movetur, vis ſive motus in A, erit duplus ipſius B.* 69
Cor. 1. *Quo corpora tardius moventur, eo magis de quiete participant. ibid.*
Cor. 2. *Si corpus A duplo celerius moveatur, quam corpus B, & B duplo majus ſit, quam A, tantundem motus eſt in B majori, quam in A minori, ac proinde etiam æqualis vis.* 70
Cor. 3. *Motus à celeritate diſtinguitur. ibid.*
23. *Cum modi alicujus corporis variationem pati cogimur, illa variatio ſemper erit minima, quæ dari poteſt.* 71
24. Reg. 1. *Si duo corpora, puta A & B eſſent planè æqualia, & in directum, verſus ſe invicem æquè velociter moverentur; cum ſibi mutuo occurrunt, utrumque in contrariam partem reflectetur nullâ ſuæ celeritatis parte amiſſa. ib.*
25. Reg. 2. *Si mole eſſent inæqualia, B rumpe majus, quam A, cæteris ut prius poſitis, tunc ſolum A reflectetur, & utrumque eâdem celeritate perget moveri.* 72

26. *Si mole & celeritate ſint inæqualia, Bnempe duplo majus, quam A; motus vero in A duplo celerior, quam in B, cæteris ut prius poſitis, ambo in contrariam partem reflectentur, unoquoque ſuam, quam habebant, celeritatem retinente.* ibid.

Cor. *Determinatio unius corporis æqualem vim requirit, ut muteturquam motus.* 73

27. Reg. 3. *Si mole ſint æqualia, ſed B tantillo celerius moveatur, quam A; non tantum A in contrariam partem reflectetur; ſed etiam B dimidiam partem celeritatis, quâ A excedit, in A transferet & ambo æquè celeriter pergent moveri verſus eandem partem.* ibid.

Cor. *Quo corpus aliquod celerius movetur, eo magis determinatum eſt, ut, ſecundum quam lineam movetur, moveri pergat: & contra.* 74

28. Reg. 4. *Si corpus A plane quieſceret, eſſetque paulò majus, quam B; quacunque cum celeritate B moveatur verſus A, nunquam ipſum A movebit; ſed ab eo in contrariam partem repelletur, ſuum integrum motum retinendo.* 75

29. Reg. 5. *Si corpus quieſcens A eſſet minus, quam B, tum quantumvis B tarde verſus A moveretur, illud ſecum movebit, partem ſcilicet ſui motus ei talem transferendo, ut ambo poſtea æquè celeriter movebuntur.* 77

30. Reg. 6. *Si corpus A quieſcens eſſet accuratiſſimè æquale corpori B verſus illud moto, partim ab ipſo impelleretur, partim ab ipſo in contrariam partem repelleretur.* 78

31. Reg. 7. *Si B & A verſus eandem partem moverentur, A quidem tardius, B autem illud inſequens celerius, ita ut ipſum tandem attingeret, eſſetque A majus, quam B, ſed exceſſus celeritatis in B eſſet major, quam exceſſus magnitudinis in A; tum B transferet tantum de ſuo motu in A, ut ambo poſtea æque celeriter, & in eaſdem partes progredientur. Si autem contra exceſſus magnitudinis in A eſſet major, quam exceſſus celeritatis in B; in contrariam partem ab ipſo reflecteretur, motum omnem ſuum retinendo.* 78 & 79

32. *Si corpus B undequaque cingatur à corpuſculis motis, ipſum æquali vi verſus omnes partes ſimul pellentibus, quamdiu nulla alia cauſa occurrit, in eodem loco immotum manebit.* 80

33. *Corpus B, iiſdem, ut ſupra poſitis, vi quantumvis parvâ adventitia, verſus quamcunque partem moveri poteſt.* ibid.

34. *Corpus B, iiſdem poſitis ut ſupra, non poteſt celerius moveri, quam à vi externâ impulſum eſt, quamvis particulæ, à quibus cingitur, longè celerius agitentur.* 81

35. *Cum corpus B ſic ab externo impulſu moveatur, maximam partem ſui motus à corporibus, à quibus continuo cingitur, accipit, non autem à vi externa.* ibid.

36. *Si corpus aliquod, ex. gr. manus noſtra, quacunque verſum æquali motu moveri poſſet, ita ut nullis corporibus ullo modo reſiſtat; neceſſario in illo ſpatio, per quod ſic moveretur, tot corpora verſus unam partem, quam verſus quamcunque aliam, æquali inter ſe, & æquali cum manu vi celeritatis movebuntur.* 82

37. *Si corpus aliquod, puta A, quacunque parva vi verſus quamcunque partem moveri poteſt, illud neceſſario cingitur à corporibus, quæ æquali inter ſe celeritate moventur.* 84

PARS III.

1. Prop. *Partes materiæ, in quas primò fuit diviſa, non erant rotundæ, ſed anguloſæ.* 90

2. *Vis, quæ effecit, ut materiæ particulæ circa propria centra moverentur, ſimul effecit, ut particularum anguli mutuo occurſu attererentur.* ibid.

INDEX

Capitum & Materierum,

In 1 & 2 Parte Appendicis contentarum.

PARS I.

CAP. I.

De Ente Reali, Ficto, & Rationis.

Entis definitio. 93
Chimæra, Ens fictum, & Ens rationis non esse entia. ibid.
Quibus cogitandi modis res retineamus. 94
Quibus cogitandi modis res explicemus. ibid.
Quibus cogitandi modis res imaginemur. ibid.
Entia rationis cur non sint Ideæ rerum, & tamen pro iis habeantur. ibid.
Male dividi Ens in reale & rationis. 95
Ens rationis quomodo dici possit merum nihil, & quomodo Ens reale. ibid.
In Rerum investigatione Entia realia cum entibus rationis non confundenda. ibid.
Quomodo Ens rationis, & Ens fictum distinguantur. 96
Entis divisio. ibid.

CAP. II.

Quid sit esse Essentiæ, quid esse Existentiæ, quid esse Ideæ, quid esse Potentiæ.

Creaturas in Deo esse eminenter. 97
Quid sit esse essentiæ, existentiæ, ideæ, ac potentiæ. 98
Hæc quatuor a se invicem non distingui, nisi in creaturis. ibid.
Ad quæstiones quasdam de Essentia respondetur. ibid.
Cur auctor in definitione essentiæ ad Dei attributa recurrit. 99
Cur aliorum definitiones non recensuit. ibid.
Quomodo distinctio inter essentiam & existentiam facile addiscatur. ibid.

CAP. III.

De eo, quod est Necessarium, Impossibile, Possibile & Contingens.

Quid hic per affectiones intelligendum sit. 100
Affectionum definitio. ibid.
Quot modis res dicatur necessaria & impossibilis, ibid.
Chimæram commode ens verbale vocari. 101
Res creatas, quoad essentiam & existentiam à Deo dependere. ibid.
Necessitatem, quæ in rebus creatis à causa est, esse vel essentiæ vel existentiæ; at hæc duo in Deo non distingui. ibid.
Possibile & contingens non esse rerum affectiones. 102
Quid sit possibile, quid contingens. ibid.
Possibile, & contingens esse tantum defectus nostri intellectus. ibid.
Conciliationem libertatis nostri arbitrii, & præordinationis Dei, humanum captum superare. 103

CAP. IV.

De Duratione & Tempore.

Quid sit Æternitas. 104
Quid Duratio. ibid.
Quid Tempus. ibid.

CAP. V.

De Oppositione, Ordine, &c.

Quid sint Oppositio, Ordo, Convenientia, Diversitas, Subjectum, Adjunctum, &c. 105

CAP. VI.

De Uno, Vero, & Bono.

Quid sit unitas. ibid.
Quid sit multitudo, & quo respectu Deus dici possit unus, & quo respectu unicus. ibid.
Quid sit verum, quid falsum tam apud vulgum, quam apud Philosophos. 106
Verum non esse terminum transcendentalem. ibid.
Veritas, & vera idea, quomodo differant. ibid.
Quænam sint Proprietates Veritatis? Certitudinem

dinem non esse in rebus. 107
Bonum & malum tantum dici respective, ibid.
Quare aliqui bonum Metaphysicum statuerunt. ibid.
Res & conatus, quo res in statu suo perseverare conantur, quomodo distinguantur. 108
An Deus ante res creatas dici possit bonus, ibid.
Perfectum quomodo dicatur respective, quomodo absolute. ibid.

PARS II.

CAP. I.

De Dei Æternitate.

Substantiarum divisio. 109
Deo nullam durationem competere. 110
Causæ, ob quas Authores Deo durationem tribuerunt. ibid
Quid sit æternitas, 111

CAP II.

De Unitate Dei.

Deum esse unicum. 112

CAP. III.

De Immensitate Dei.

Quomodo Deus dicatur infinitus, quomodo immensus. 113
Quid vulgo per Dei immensitatem intelligatur. ibid.
Deum esse ubique probatur. 114
Omnipresentia Dei explicari nequit. ibid.
Dei Immensitatem à quibusdam statui triplicem; sed male. ibid.
Dei potentiam non distingui ab ejus essentia. ibid.
Nec illius Omnipresentiam. 115

CAP. IV.

De Immutabilitate Dei.

Quid sit Mutatio, quid Transformatio. ibid.
In Deo Transformationem locum non habere. ibid.
Quæ sint Mutationis causæ. ibid.
Deum non mutari ab alio. 116
Nec etiam à se ipso. ibid.

CAP. V.

De Simplicitate Dei.

Rerum Distinctio triplex, Realis, Modalis, Rationis, ibid.
Undenam omnis compositio oriatur, & quotuplex sit. 117
Deum esse Ens simplicissimum. ibid.
Dei Attributa distingui tantum ratione, 118

CAP. VI.

De Vita Dei.

Quid vulgò per vitam intelligant Philosophi. ibid.
Quibus rebus vita tribui possit. 119
Quid sit vita, & quid sit in Deo. ibid.

CAP. VII.

De Intellectu Dei.

Deum esse omniscium. 120
Objectum scientiæ Dei non esse res extra Deum, ibid.
Sed Deum ipsum. 121
Quomodo Deus noscat peccata, & entia rationis, &c. ibid.
Quomodo singularia, & quomodo universalia. ibid.
In Deo tantum unam esse & simplicem ideam. 122
Quæ sit Dei scientia circa res creatas ibid.

CAP. VIII.

De Voluntate Dei.

Quomodo Dei essentia, & intellectus, quo se intelligit, & voluntas, qua se amat, distinguantur, nos nescire. 123
Voluntatem & Potentiam Dei, quoad extra, non distingui ab ejus intellectu. ibid.
Deum improprie quædam odio habere, quædam amare, ibid.
Cur Deus homines monet, cur non salvat absque monitione: & cur impii puniantur. 124
Scripturam nihil docere, quod lumini naturæ repugnet. ibid.

CAP.

CAP. IX.

De Potentiâ Dei.

Quomodo Omnipotentia Dei intelligenda ſit. 125

Omnia eſſe neceſſaria reſpectu decreti Dei, non autem quædam in ſe, quædam reſpectu decreti. ibid.

Quod ſi Deus aliam feciſſet rerum naturam, etiam nobis alium debuiſſet dare intellectum. 126.

Quotuplex ſit Potentia Dei. ibid.

Quid abſoluta, quid ordinata, quid ordinaria, quid extraordinaria. ibid.

CAP. X.

De Creatione.

Quid ſit Creatio. 127

Creationis vulgaris Definitio rejicitur. ibid.

Propria explicatur. ibid.

Accidentia & modos non creari. 128

Nullum fuiſſe tempus aut durationem ante creationem. ibid.

Eandem eſſe Dei operationem mundi creandi, quam conſervandi. ibid.

Quænam ſint creata. ibid.

Quomodo Dei cogitatio á noſtra differat. 129

Non eſſe quid extra Deum Deo coæternum. ibid.

Quid hic vocibus, ab æterno, denotetur. ibid.

Non potuiſſe aliquid ab æterno creari, probatur. ibid.

Ex eo, quod Deus ſit æternus, non ſequi illius effecta etiam eſſe poſſe ab æterno. 130

Deum, ſi neceſſario ageret, non eſſe infinitæ virtutis. ibid.

Unde habeamus conceptum majoris durationis, quam eſt hujus mundi. 131

CAP. XI.

De Concurſu Dei.

Quomodo Dei Conſervatio ſe habeat in rebus determinandis ad operandum. 133

Diviſionem attributorum Dei vulgarem magis eſſe nominis, quam rei. ibid.

Autoris propria Diviſio. 134

CAP. XII.

De Mente Humana.

Angelos non eſſe Metaphyſicæ, ſed Theologicæ conſiderationis. ibid.

Mentem humanam non eſſe ex traduce, ſed à Deo creari: at, quando creetur, neſciri. ibid.

Quo ſenſu anima humana ſit mortalis. ibid.

Quo verò ſenſu immortalis. 135

Illius immortalitas demonſtratur. ibid.

Deum non contra, ſed ſupra naturam agere; & quid hoc ſit ſecundum authorem. ibid. & 136

Cur aliqui putent, voluntatem non eſſe liberam. ibid.

Quid ſit voluntas. ibid.

Dari voluntatem. ibid.

Eamque eſſe liberam. 137

Nec confundendam cum appetitu. ibid.

Nec aliquid eſſe præter ipſam mentem. 138

Cur Philoſophi mentem cum rebus corporeis confuderunt. 139

PRIN-

PRINCIPIA PHILOSOPHIÆ

MORE GEOMETRICO DEMONSTRATA.

PARS I.

PROLEGOMENON.

ANtequam ad ipſas Propoſitiones, earumque Demonſtrationes accedamus, viſum fuit in anteceſſum ſuccinctè ob oculos ponere, cur Carteſius de omnibus dubitaverit, quâ viâ ſolida ſcientiarum fundamenta eruerit, ac tandem quibus mediis ſe ab omnibus dubiis liberaverit: quæ omnia quidem in ordinem Mathematicum redegiſſemus, niſi prolixitatem, quæ ad id præſtandum requireretur, impedire judicaviſſemus, quò minùs hęc omnia, quę uno obtutu, tanquam in picturâ, videri debent, debitè intelligerentur.

Carteſius itaque, ut quàm cautiſſimè procederet in rerum inveſtigatione, conatus fuit

1°. Omnia prȩjudicia deponere,

2°. Fundamenta invenire, quibus omnia ſuperſtruenda eſſent,

3°. Cauſam erroris detegere,

4°. Omnia clarè & diſtinctè intelligere.

Ut verò primum, ſecundum, ac tertium aſſequi poſſet, omnia in dubium revocare aggreditur, non quidem ut Scepticus, qui ſibi nullum alium præfigit finem, quàm dubitare: Sed ut animum ab omnibus præjudiciis liberaret, quò tandem firma, atque inconcuſſa ſcientiarum fundamenta, quæ hoc modo ipſum, ſiquæ eſſent, effugere non poſſent, inveniret. Vera enim ſcientiarum principia adeò clara, ac

certa eſſe debent, ut nullâ indigeant probatione, extra omnem dubitationis aleam ſint poſita, & ſine ipſis nihil demonſtrari poſſit. Atque hæc, poſt longam dubitationem ireperit. Poſtquam autem hæc principia inveniſſet, non ipſi difficile fuit, verum à falſo diſgnoſcere, ac cauſam erroris detegere; atque adeò ſibi cavere, ne aliquid falſum & dubium pro vero, ac certo aſſumeret.

Ut autem quartum, & ultimum ſibi compararet, hoc eſt, omnia clarè, & diſtinctè intelligeret, præcipua ejus regula fuit, omnes ſimplices ideas, ex quibus reliquæ omnes componuntur, enumerare, ac quamlibet ſigillatim examinare. Ubi enim ſimplices ideas clarè, & diſtinctè percipere poſſet, ſine dubio etiam omnes reliquas, ex ſimplicibus illis conflatas, eâdem claritate, & diſtinctione intelligeret. His ita prælibatis, breviter explicabimus, quomodo omnia in dubium revocaverit, vera Scientiarum principia invenerit, ac ſe ex dubitationum difficultatibus extricaverit.

Dubitatio de omnibus. Primò itaque ſibi ob oculos ponit omnia illa, quæ à ſenſibus acceperat, nempe cœlum, terram, & ſimilia, atque etiam ſuum corpus: quæ omnia eouſque in rerum naturâ eſſe putaverat. Ac de horum certitudine dubitat, quia ſenſus ipſum interdum fefelliſſe deprehenderat, & in ſomnis ſibi ſæpe perſuaſerat, multa extra ſe verè exiſtere, in quibus poſtea, ſe deluſum eſſe compererat; ac denique quia alios etiam vigilantes aſſerere audierat, ſe in membris, quibus dudum caruerant, dolorem ſentire. Quare non ſine ratione etiam de ſui corporis exiſtentiâ dubitare potuit. Atque ex his omnibus verè concludere potuit, ſenſus non eſſe firmiſſimum fundamentum, cui omnis ſcientia ſuperſtruenda ſit; poſſunt enim in dubium revocari: Sed certitudinem ab aliis principiis nobis certioribus dependere. Ut autem porro talia inveſtiget, ſecundò ſibi ob oculos ponit omnia univerſalia, qualia ſunt natura corporea in communi, ejuſque extenſio, item figura, quantitas &c. ut etiam omnes mathema-

thematicæ veritates. Et quamvis hæc ipſi certiora viderentur, quàm omnia, quæ à ſenſibus hauſerat, rationem tamen de iis dubitandi invenit; quoniam alii etiam circa ea errârant, & præcipuè, quoniam infixa quędam erat ejus menti vetus opinio, Deum eſſe, qui poteſt omnia, & a quo talis, qualis exiſtit, creatus eſt: quique adeò forſan fecerat, ut etiam circa illa, quæ ipſi clariſſima videbantur, deciperetur. Atque hic eſt modus, quo omnia in dubium revocavit.

Inventio fundamenti omnis ſcientiæ.

Ut autem vera ſcientiarum principia inveniret: inquiſivit poſtea, num omnia, quæ ſub ejus cogitationem cadere poſſent, in dubium revocârat, ut ſic explorarer, an non fortè quid reliquum eſſet, de quo nondum dubitaverat. Quod ſi verò quid ſic dubitando, inveniret, quod nulla ex præcedentibus, nec etiam ullâ aliâ ratione, in dubium revocari poſſet: id ſibi, tanquam fundamentum, cui omnem ſuam cognitionem ſuperſtruat, ſtatuendum eſſe, meritò judicavit. Et quamquam jam, ut videbatur, de omnibus dubitârat; nam æquè de iis, quæ per ſenſus hauſerat, quàm de iis, quæ ſolo intellectu perceperat dubitaverat: aliquid tamen, quod explorandum eſſet, reliquum fuit, ille nimirum ipſe, qui ſic dubitabat, non quatenus capite, manibus, reliquiſque corporis membris conſtabat, quoniam de his dubitaverat; Sed tantum quatenus dubitabat, cogitabat, &c. Atque, hoc accuratè examinans, comperit, ſe nullis prædictis rationibus de eo dubitare poſſe. Nam, quamvis ſomnians, aut vigilans cogitet, cogitat tamen atque eſt: & quamvis alii, aut etiam ille ipſe circa alia erraviſſent, nihilominus, quoniam errabant, erant: Nec ullum ſuæ naturæ autorem adeo callidum fingere poteſt, qui eum circa hoc decipiat; concedendum enim erit ipſum exiſtere, quamdiu ſupponitur decipi. Nec denique quæcumque alia excogitetur dubitandi cauſa, ulla talis adferri poterit, quæ ipſum ſimul de ejus exiſtentiâ non certiſſimum reddat. Imò, quò plures adferuntur dubitandi rationes, eò plura ſimul adferuntur argumenta, quæ illum de ſuâ exiſtentiâ convincunt. Adeò ut, quocumque ſe

ad dubitandum vertat, cogitur nihilominus in has voces erumpere, *dubito, cogito, ergo ſum.*

Hâc igitur detectâ veritate, ſimul etiam invenit omnium ſcientiarum fundamentum: ac etiam omnium aliarum veritatum, menſuram, ac regulam; ſcilicet, *Quicquid tàm clarè ac diſtinctè percipitur, quàm iſtud, verum eſt.*

Nullum verò aliud, quàm hoc ſcientiarum fundamentum eſſe poſſe, ſatis ſuperque liquet ex præcedentibus: quoniam, reliqua omnia facillimo negotio à nobis in dubium revocari poſſunt; hoc autem nequaquam. Verumenim verò circa hoc fundamentum hîc apprimè notandum, hanc orationem, *dubito, cogito, ergo ſum*, non eſſe ſyllogiſmum, in quo major propoſitio eſt omiſſa. Nam ſi ſyllogiſmus eſſet, præmiſſæ clariores, & notiores deberent eſſe, quàm ipſa concluſio, *ergo ſum*: adeóque *ego ſum* non eſſet primum omnis cognitionis fundamentum; præterquam quòd non eſſet certa concluſio: nam ejus veritas dependeret ab univerſalibus præmiſſis, quas dudum in dubium Autor revocaverat: ideoque *Cogito, ergo ſum*, unica eſt propoſitio, quæ huic, *ego ſum cogitans*, æquivalet.

Sciendum porrò, ut confuſionem in ſequentibus vitemus; (clarè enim, ac diſtinctè res percipienda eſt) quid ſimus. Nam hoc clarè, & diſtinctè intellecto, noſtram eſſentiam cum aliis non confundemus. Ut igitur id ex præcedentibus deducat, ſic pergit noſter Autor.

Omnes, quas olim de ſe habuit, cogitationes in memoriam revocat, ut animam ſuam eſſe exiguum quid inſtar venti, vel ignis, vel ætheris, craſſioribus ſui corporis partibus infuſum, & corpus ſibi notius eſſe, quam animam, illudque a ſe clariùs ac diſtinctiùs percipi. Atque hæc omnia clarè pugnare cum iis deprehendit, quæ hucuſque intellexerat. Nam de ſuo corpore dubitare poterat, non autem de ſuâ eſſentiâ quatenus cogitabat. Adde, quòd hæc neque clarè, neque diſtinctè percipiebat, ac conſequenter, ex ſuæ methodus præſcripto, tanquam falſa rejicere debebat. Unde, cùm talia ad ſe, quatenus hucuſque

que ſibi cognitus erat, pertinere intelligere non poſſet, pergit ulterius inquirere, quid ad ſuam eſſentiam propriè pertineat; quod in dubium revocare non potuerat, & ob quod ſuam exiſtentiam concludere cogebatur. talia autem ſunt, *quod ſibi cavere voluerit, ne deciperetur; multa cupiverit intelligere; de omnibus, quæ intelligere non poterat, dubitârit; unum tantùm hucuſque affirmârit; omnia reliqua negârit, & tanquam falſa rejecerit; multaque etiam invitus imaginatus fuerit; ac denique multa, tanquam à ſenſibus venientia, animadverterit.* Cùmque ex ſingulis his æquè evidenter ſuam exiſtentiam colligere, nec ullum horum inter ea, quæ in dubium revocaverat, recenſere potuerit, ac denique omnia hæc ſub eodem attributo concipi poſſint: ſequitur omnia hæc vera eſſe, & ad ejus naturam pertinere. Atque adeò ubi dixerat, *cogito*, omnes hi cogitandi modi intelligebantur, nempe *dubitare, intelligere, affirmare, negare, velle, nolle, imaginari & ſentire.*

Apprimè autem hic notandum venit, quod magnum uſum in ſequentibus, ubi de diſtinctione mentis à corpore agetur, habebit; nempe 1°. Hos cogitandi modos clarè ac diſtinctè ſine reliquis, de quibus adhuc dubitatur, intelligi. 2°. Eorum clarum, & diſtinctum, quem habemus conceptum, obſcurum, atque confuſum reddi; ſi iis aliqua, de quibus adhuc dubitamus, adſcribere vellemus.

Liberatio ab omnibus dubiis.

Ut denique de iis, quæ in dubium revocaverat, certus redderetur, omneque dubium tolleret, pergit inquirere in naturam Entis perfectiſſimi, & an tale exiſtat. Nam, ubi Ens perfectiſſimum exiſtere deprehendet, cujus vi omnia producuntur, & conſervantur, cujuſq; naturæ repugnat, ut ſit deceptor: tum illa ratio dubitandi tolletur, quam ex eo, quòd ſuam cauſam ignorabat, habuit. Sciet enim facultatem veri à falſo dignoſcendi a Deo ſummè bono & veraci ipſi non fuiſſe datam, ut deciperetur. Adeòque Mathematicæ veritates, ſeu omnia, quæ ipſi evidentiſſima eſſe videntur, minimè ſuſpecta eſſe poterunt. Progreditur deinde, ut cæteras cauſas dubitandi tollat, inquiritque,

ritque, undenam fiat, quòd aliquando erremus? quod, ubi invenit ex eo oriri, quod liberâ noſtrâ voluntate utamur ad aſſentiendum etiam iis, quæ tantùm confuſè percepimus: ſtatim concludere potuit, ſe in poſterum ab errore cavere poſſe, modò non niſi clarè & diſtinctè perceptis aſſenſum præbeat: quod unuſquiſque à ſe facile impetrare poteſt, quoniam poteſtatem habet cohibendæ voluntatis, ac proinde efficiendi, ut intra limites intellectus contineatur. Verùm, quia in prima ætate multa hauſimus præjudicia, à quibus non facilè liberamur, pergit porro, ut ab iis liberemur, & nihil, niſi quod clarè & diſtinctè percipimus, amplectamur, ſimplices omnes notiones & ideas, ex quibus omnes noſtræ cogitationes componuntur, enumerare, eaſque ſingulatim examinare; ut quicquid in unâquâque clarum, quid obſcuram eſt, animadvertere poſſit; ſic enim facilè clarum ab obſcuro diſtinguere poterit. Claraſque ac diſtinctas cogitationes efformare; Adeoque facilè realem diſtinctionem inter animam & corpus invenire: & quid in iis, quæ à ſenſibus hauſimus clarum, quid obſcurum ſit; & denique in quo ſomnium à vigiliis differat: Quo facto neque de ſuis vigiliis dubitare, neque à ſenſibus falli amplius potuit; Ac ſic ſe ab omnibus dubitationibus ſuprà recenſitis liberavit.

Verùm, antequam hic finem faciam, iis ſatisfaciendum videtur, qui ſic argumentantur. Cum Deum exiſtere nobis per ſe non innoteſcat, de nullâ re videmur poſſe unquam eſſe certi: nec Deum exiſtere unquam nobis innoteſcere poterit. Nam ex incertis præmiſſis (omnia enim incerta eſſe diximus, quamdiu noſtram originem ignoramus) nihil certi concludi poteſt.

Hanc difficultatem ut amoveat Carteſius, reſpondet hoc pacto. Ex eo, quòd nondum ſciamus, an fortè originis noſtræ autor nos tales creaverit, ut fallamur, etiam in iis, quæ nobis vel evidentiſſima apparent, dubitare nequaquam poſſumus de iis, quæ clarè & diſtinctè per ſe, vel per ratiocinationem, quamdiu nempe ad illam attendimus, intelligimus: ſed tantùm de

iis,

iis, quæ ante hac demonſtravimus vera eſſe, quorum memoria poteſt recurrere, cum non ampliùs attendimus ad rationes, ex quibus ea deduximus, quarumque adeò ſumus obliti. Quapropter quamvis, Deum exiſtere, non per ſe, ſed tantùm per aliud innoteſcere poſſit, poterimus tamen ad certam Dei exiſtentiæ cognitionem pervenire, dummodo ad omnes, ex quibus illam concludimus, præmiſſas accuratiſſimè attendamus. Vide Princip. part. 1. artic. 13. & Reſp. ad ſecund. object. num. 3. & in fin. meditat. 5.

Verùm, quoniam hæc reſponſio quibuſdam non ſatisfacit, aliam dabo. Vidimus in præcedentibus, ubi de noſtræ exiſtentiæ certitudine atque evidentiâ loquebamur, nos illam ex eo concluſiſſe, quòd, quocunque mentis aciem convertebamus, nullam dubitandi rationem offendebamus, quæ eo ipſo nos de noſtri exiſtentia non convinceret, ſive ubi ad noſtram propriam naturam attendebamus, ſive ubi noſtræ naturæ autorem callidum deceptorem fingebamus, ſive denique aliam quamcunque, extra nos, dubitandi rationem accerſebamus: quod circa nullam aliam rem hucuſque contingere deprehendimus. Nam, quamvis ad naturam ex. gr. Trianguli attendentes, cogimur concludere ejus tres angulos eſſe æquales duobus rectis, non tamen idem poſſumus concludere ex eo, quòd forte à naturæ noſtræ autore decipiamur: quemadmodum ex hoc ipſo noſtram exiſtentiam certiſſimè colligebamus. Quapropter non, quocunque mentis aciem convertimus, cogimur concludere, Trianguli tres angulos eſſe æquales duobus rectis; ſed contrà cauſam dubitandi invenimus, quia nempe nullam talem Dei ideam habemus, quæ nos ita afficiat, ut nobis impoſſibile ſit cogitare, Deum eſſe deceptorem. Nam æquè facile eſt ei, qui veram Dei ideam non habet; quam nos non habere jam ſupponimus, cogitare ſuum autorem eſſe deceptorem; quam non eſſe deceptorem: quemadmodum ille, qui nullam habet Trianguli ideam æquè facile eſt cogitare, ejus tres angulos æquales eſſe, quam non eſſe æquales duobus rectis.

rectis. Quare concedimus, nos de nullâ re, præter noſtram exiſtentiam, quamvis ad illius demonſtrationem probè attendamus, poſſe eſſe abſolutè certos, quamdiu nullum Dei clarum & diſtinctum conceptum habemus, qui nos affirmare faciat, Deum eſſe ſummè veracem, ſicuti idea, quam Trianguli habemus, nos cogit concludere, ejus tres angulos eſſe æquales duobus rectis; ſed negamus, nos ideò in nullius rei cognitionem pervenire poſſe. Nam, ut ex omnibus jamjam dictis patet, cardo totius rei in hoc ſolo verſatur, nempe ut talem Dei conceptum efformare poſſimus, qui nos ita diſponat, ut nobis non æquè facile ſit cogitare, eum eſſe, quam non eſſe deceptorem; ſed qui nos cogat affirmare, eum eſſe ſummè veracem. Ubi enim talem ideam efformaverimus, illa de Mathematicis veritatibus dubitandi ratio tolletur. Nam, quocunque tum mentis aciem convertemus, ut de iſtarum aliquâ dubitemus, nihil offendemus, ex quo ipſo, quemadmodum circa noſtram exiſtentiam contigit, non concludere debeamus, illam eſſe certiſſimam. Ex. grat. ſi poſt Dei ideam inventam, ad naturam Trianguli attendamus, hujus idea nos coget affirmare, ejus tres angulos eſſe æquales duobus rectis: ſin ad ideam Dei, hæc etiam nos affirmare coget, eum ſummè veracem, noſtræque naturæ eſſe autorem, & continuum conſervatorem, atque adeò nos circa iſtam veritatem non decipere. Nec minus impoſſibile nobis erit cogitare, ubi ad Dei ideam, (quam nos inveniſſe jam ſupponimus) attendimus, eum eſſe deceptorem, quàm ubi ad ideam Trianguli attendimus cogitare, tres ejus angulos non eſſe æquales duobus rectis. Et, uti poſſumus talem Trianguli ideam formare, quamvis neſciamus, an autor noſtræ naturæ nos decipiat; ſic etiam poſſumus ideam Dei nobis claram reddere, atque ob oculos ponere, quamvis etiam dubitemus, an noſtræ naturæ autor nos in omnibus decipiat. Et modò illam habeamus, quomodocunque eam acquiſiverimus, ſufficiet, ut jamjam oſtenſum eſt, ad omne dubium tollendum. His itaque præmiſſis ad difficultatem motam reſpondeo; nos

de

de nullâ re poſſe eſſe certos, non quidem, quamdiu Dei exiſtentiam ignoramus (nam de hac re non locutus ſum) ſed quamdiu ejus claram, & diſtinctam ideam non habemus. Quare ſi quis contra me argumentari velit, tale debebit eſſe argumentum. De nullâ re poſſumus eſſe certi, antequam Dei claram & diſtinctam ideam habeamus: Atqui claram & diſtinctam Dei ideam habere non poſſumus, quamdiu neſcimus, an noſtræ naturæ autor nos decipiat: Ergo de nullâ re poſſumus eſſe certi, quamdiu neſcimus, an noſtræ naturæ autor nos decipiat &c. Ad quod reſpondeo, concedendo majorem, & negando minorem: Habemus enim claram & diſtinctam ideam Trianguli, quamvis neſciamus, an noſtræ naturæ autor nos decipiat; & modo talem Dei ideam, ut modo fusè oſtendi, habeamus, nec de ejus exiſtentiâ, nec de ullâ veritate Mathematicâ dubitare poterimus.

Hæc præfati, rem ipſam nunc aggredimur.

DEFINITIONES.

I. COgitationis nomine complector omne id, quod in nobis eſt, & cujus immediatè conſcii ſumus.

Ita omnes voluntatis, intellectus, imaginationis, & ſenſuum operationes ſunt cogitationes. Sed addidi immediatè *ad excludenda ea, quæ ex iis conſequuntur, ut motus voluntarius cogitationem quidem pro principio habet, ſed ipſe tamen non eſt cogitatio.*

II. Ideæ nomine intelligo cujuslibet cogitationis formam illam, per cujus immediatam perceptionem ipſius ejuſdem cogitationis conſcius ſum.

Adeò ut nihil poſsim verbis exprimere, intelligendo id, quod dico, quin ex hoc ipſo certum ſit in me eſſe ideam ejus, quod verbis illis ſignificatur. Atque ita non ſolas imagines in phantaſia depictas ideas voco: imò ipſas hic nullo modo voco ideas, quatenus ſunt in phantaſia corporea, hoc eſt, in parte aliqua cerebri depictæ, ſed tantùm quatenus mentem ipſam in illam cerebri partem converſam informant.

III. Per realitatem objectivam ideæ intelligo entitatem rei repræsentatæ per ideam, quatenus est in ideâ.

Eodemque modo dici potest perfectio objectiva, vel artificium objectivum &c. Nam quæcunque percipimus, tanquam in idearum objectis, ea sunt in ipsis ideis objectivè.

IV. Eadem dicuntur esse *formaliter* in idearum objectis, quando talia sunt in ipsis, qualia illa percipimus: Et *eminenter*, quando non quidem talia sunt, sed tanta, ut talium vicem supplere possint.

Nota, cum dico causam eminenter *perfectiones sui effectus continere, tum me significare velle, quòd causa perfectiones effectus excellentius, quàm ipse effectus continet.* Vide etiam Axiom. 8.

V. Omnis res, cui inest immediatè, ut in subjecto, sive per quam existit aliquid, quod percipimus, hoc est, aliqua proprietas, sive qualitas, sive attributum, cujus realis idea in nobis est, vocatur *Substantia.*

Neque enim ipsius substantiæ, præcisè sumptæ, aliam habemus ideam, quàm quòd sit res, in qua formaliter vel eminenter existit illud aliquid, quod percipimus, sive quod est objectivè in aliqua ex nostris ideis.

VI. Substantia, cui inest immediatè cogitatio, vocatur *Mens.*

Loquor autem hic de mente potius, quàm de animâ, quoniam animæ nomen est æquivocum, & sæpe pro re corporeâ usurpatur.

VII. Substantia, quæ est subjectum immediatum extensionis, & accidentium, quæ extensionem præsupponunt, ut figuræ, situs, motûs localis &c. vocatur *Corpus.*

An vero una & eadem substantia sit, quæ vocatur mens, & corpus, an duæ diversæ, postea erit inquirendum.

VIII. Substantia, quam per se summè perfectam esse intelligimus, & in quâ nihil planè concipimus, quod aliquem defectum sive perfectionis limitationem involvat, *Deus* vocatur.

IX. Cum quid dicimus in alicujus rei naturâ sive conceptu contineri, idem est, ac si diceremus, id de eâ re verum esse, sive de ipsâ posse verè affirmari.

X. Duæ

X. Duæ ſubſtantiæ realiter diſtingui dicuntur, cum unaquæque ex ipſis abſque alia poteſt exiſtere.

Carteſii poſtulata hic omiſimus, quia ex iis nihil in ſequentibus concludimus; attamen lectores ſerìò rogamus, ut ipſa perlegant atque attentâ meditatione conſiderent.

AXIOMATA.

I. IN cognitionem & certitudinem rei ignotæ non pervenimus, niſi per cognitionem & certitudinem alterius, quæ ipſa prior eſt certitudine & cognitione.

II. Dantur rationes, quæ nos de noſtri corporis exiſtentia dubitare faciunt.

Hoc re ipſa in Prolegomeno oſtenſum eſt, ideoque tanquam axioma hic ponitur.

III. Siquid præter mentem, & corpus habemus, id nobis minùs, quam mens & corpus, notum eſt.

Notandum, hæc axiomata nihil de rebus extra nos affirmare; ſed tantum ea, quæ in nobis, quatenus ſumus res cogitantes, reperimus.

PROPOSITIO I.

De nullâ re poſſumus abſolute eſſe certi, quamdiu neſcimus nos exiſtere.

DEMONSTRATIO.

PRopoſitio hæc per ſe patet: Nam qui abſolutè neſcit ſe exiſtere, ſimul neſcit ſe eſſe affirmantem, aut negantem, hoc eſt, certò ſe affirmare, aut negare.

Notandum autem hic, quòd, quamvis multa magnâ certitudine affirmemus, & negemus, ad hoc, quòd exiſtamus, non attendentes; tamen, niſi pro indubitato hoc præſupponatur, in dubium revocari poſſet.

PROPOSITIO II.

Ego ſum *debet eſſe per ſe notum.*

DEMONSTRATIO.

SI negas, non ergo innoteſcet, niſi per aliud, cujus quidem (per ax. 1.) cognitio, & certitudo prior erit in nobis hoc enunciato, *ego ſum.* Atqui hoc eſt abſurdum (per præc.); ergo per ſe debet eſſe notum, q. e. d.

PROPOSITIO III.

Ego, *quatenus res conſtans corpore*, ſum, *non eſt primum, nec per ſe cognitum.*

DEMONSTRATIO.

QUædam ſunt, quæ nos de exiſtentia noſtri corporis dubitare faciunt (per ax. 2.); ergo (per ax. 1.) in ejus certitudinem non perveniemus, niſi per cognitionem & certitudinem alterius rei, quæ ipſa prior eſt cognitione, & certitudine. Ergo hæc enunciatio, *ego*, quatenus res conſtans corpore, *ſum* non eſt primum, nec per ſe cognitum, q. e. d.

PROPOSITIO IV.

Ego ſum *non poteſt eſſe primum cognitum, niſi quatenus cogitamus.*

DEMONSTRATIO.

HOc enunciatum, *ego ſum res corporea aut conſtans corpore* non eſt primum cognitum (per præc.); nec etiam de mea exiſtentia, quatenus conſto alia rê præter mentem, & cor-

corpus, ſum certus: nam ſi aliqua alia re à mente, & corpore diverſa conſtamus, ea nobis minus nota eſt, quam corpus (per ax. 3.): quare *ego ſum* non poteſt eſſe primum cognitum, niſi quatenus cogitamus. q. er. d.

COROLLARIUM.

Hinc patet mentem ſive rem cogitantem notiorem eſſe corpore.

Verum ad uberiorem explicationem legantur Art. 11. *&* 12. *Part.* 1. *Principiorum.*

SCHOLIUM.

UNusquiſque certiſſimè percipit, quòd affirmat, negat, dubitat, intelligit, imaginatur &c. Sive, quòd exiſtit dubitans, intelligens, affirmans, &c. Sive uno verbo, *Cogitans:* neque poteſt hæc in dubium revocare. Quare hoc enunciatum *Cogito*, ſive *ſum Cogitans* unicum (per prop. 1.) & certiſſimum eſt fundamentum totius Philoſophiæ. Et cùm in ſcientiis nihil aliud quæri, neque deſiderari poſſit, ut de rebus certiſſimi ſimus, quàm omnia ex firmiſſimis principiis deducere, eaque æquè clara & diſtincta reddere, ac principia, ex quibus deducuntur: clarè ſequitur, omne, quod nobis æque evidens eſt, quodque æquè clare & diſtincte, atque noſtrum jam inventum principium percipimus, omneque, quod cum hoc principio ita convenit, & ab hoc principio ita dependet, ut ſi de eo dubitare velimus, etiam de hoc principio eſſet dubitandum, pro veriſſimo habendum eſſe. Verùm, ut in iis recenſendis quàm cautiſſimè procedam, ea tantum pro æquè evidentibus, proque æquè clarè & diſtinctè à nobis perceptis in initio admittam, quæ unuſquiſque in ſe, quatenus cogitans, obſervat. Ut ex. grat. ſe hoc, & illud velle, ſe certas tales habere ideas, unamque ideam plus realitatis, & perfectionis in ſe continere, quàm aliam; illam ſcilicet, quæ objectivè continet eſſe, & perfectionem ſubſtantiæ, longè perfectiorem eſſe, quàm illam,

quæ tantùm objectivam perfectionem alicujus accidentis continet; illam denique omnium esse perfectissimam, quæ est entis summè perfecti. Hęc inquam non tantum æque evidenter, & æque clarè, sed fortè etiam magis distinctè percipimus. Nam non tantùm affirmant nos cogitare; sed etiam quemodo cògitemus. Porro etiam illa cum hoc principio convenire dicemus, quæ non possunt in dubium revocari, nisi simul hoc nostrum inconcussum fundamentum in dubium revocetur. Ut ex. grat. Si quis dubitare velit, an ex nihilo aliquid fiat: simul poterit dubitare, an nos quamdiu cogitamus, simus. Nam si de nihilo aliquid affirmare possum: nempe quòd potest esse causa alicujus rei: potero simul eôdem jure cogitationem de nihilo affirmare, ac dicere me nihil esse, quamdiu cogito. Quod cùm mihi impossibile sit, impossibile etiam mihi erit cogitare, quod ex nihilo aliquid fiat. His sic consideratis, ea, quæ nobis impræsentiarum, ut ulterius pergere possimus, necessaria videntur, hic ordine ob oculos ponere constitui, numeroque Axiomatum addere; quandoquidem à Cartesio, in fine Responsionum ad secundas Objectiones, tanquam axiomata proponuntur, & accuratior, quam ipse, esse nolo. Attamen, ne ab ordine jam incepto recedam, ea utcumque clariora reddere, & quomodo unum ab alio, & omnia ab hoc principio, *ego sum cogitans*, dependent, vel cum ipso evidentiâ, & ratione conveniunt, ostendere conabor.

AXIOMATA

Ex Cartesio deprompta.

IV. Sunt diversi gradus realitatis, sive entitatis: nam substantia plus habet realitatis, quàm accidens, vel modus; & substantia infinita, quàm finita; ideòque plus est realitatis objectivæ in ideâ substantiæ, quàm accidentis; & in ideâ substantiæ infinitæ, quam in ideâ finitæ.

Hoc axioma ex sola contemplatione nostrarum idearum, de quarum exi-

exiſtentia certi ſumus, quia nempe modi ſunt cogitandi, innoteſcit: ſcimus enim quantum realitatis, ſive perfectionis idea ſubſtantiæ de ſubſtantia affirmat; quantum verò idea modi de modo. Quod cum ita ſit, neceſſariò etiam comperimus ideam ſubſtantiæ plus realitatis objecti a continere, quàm ideam alicujus accidentis &c. Vide Scholium Propoſit. 4.

V. Res cogitans, ſi aliquas perfectiones novit, quibus careat, ſibi ſtatim ipſas dabit, ſi ſint in ſuâ poteſtate.

Hoc unuſquiſque in ſe, quatenus eſt res cogitans, obſervat: quare (per Schol. Prop. 4.) de ipſo certiſsimi ſumus; & eadem de cauſa non minùs certi ſumus de ſequenti, nempe

VI. In omnis rei ideâ, ſive conceptu continetur exiſtentia, vel poſſibilis, vel neceſſaria (Vide Axiom. 10. Carteſii): *Neceſſaria in Dei, ſive entis ſummè perfecti conceptu; nam alias conciperetur imperfectum, contra quod ſupponitur concipi: Contingens verò ſive poſsibilis in conceptu rei limitatæ.*

VII. Nulla res, neque ulla rei perfectio actu exiſtens poteſt habere nihil, ſive rem non exiſtentem pro cauſâ ſuæ exiſtentiæ.

Hoc axioma nobis æquè perſpicuum eſſe, ac eſt, ego ſum cogitans, *in Scholio Propoſit. 4. demonſtravi.*

VIII. Quicquid eſt realitatis, ſive perfectionis in aliquâ re, eſt formaliter, vel eminenter in primâ, & adæquatâ ejus cauſâ.

Per eminenter *intelligo, cum cauſa perfectius continet omnem realitatem effectus, quàm effectus ipſe: per* formaliter *verò, cum æquè perfectè illam continet.*

Hoc axioma à præcedenti dependet: nam, ſi ſupponeretur nihil, vel minus eſſe in cauſa, quàm in effectu; nihil in cauſa eſſet cauſa effectus. At hoc eſt abſurdum (per præc.): quare non quæcunque res poteſt eſſe cauſa alicujus effectus; ſed præcisè illa, in qua eminenter, vel ad minimum formaliter eſt omnis perfectio, quæ eſt in effectu.

IX. Realitas objectiva noſtrarum idearum requirit cauſam, in qua

in qua eadem ipſa realitas, non tantùm objectivè, ſed formaliter, vel eminenter contineatur.

Hoc axioma apud omnes, quamvis multi eo abuſi ſunt, in confeſſo eſt. Ubi enim aliquis aliquid novi concepit, nullus eſt, qui non quærat cauſam illius conceptus, ſive ideæ. Ubi verò aliquam aſſignare poſſunt, in quâ formaliter vel eminenter tantum realitatis contineatur, quantum eſt objectivè in illo conceptu, quieſcunt. Quod exemplo machinæ Art. 17. Part. 1. Princ. à Carteſio allato ſatis explicatur. Sic etiam ſi quis quærat, undenam homo ideas ſuæ cogitationis & corporis habeat; nemo non videt illum eas ex ſe, formaliter nimirum continente omne, quod ideæ objectivè continent, habere. Quare ſi homo aliquam haberet ideam, quæ plus realitatis objectivæ contineret, quàm ipſe formalis; neceſſariò, lumine naturali impulſi, aliam cauſam extra hominem ipſum, quæ omnem illam perfectionem formaliter vel eminenter contineret, quæreremus. Nec ullus unquam aliam præter hanc cauſam aſſignavit, quam æquè clarè, & diſtinctè conceperit. Porro quòd ad veritatem hujus axiomatis attinet, ea à præcedentibus pendet. Nempe (per 4. ax.) dantur diverſi gradus realitatis ſive entitatis in ideis: ac proinde (per 8. ax.) pro gradu perfectionis, perfectiorem cauſam requirunt. Verùm cùm gradus realitatis, quos in ideis advertimus, non ſint in ideis, quatenus tanquam modi cogitandi conſiderantur; ſed quatenus una ſubſtantiam, alia modum tantùm ſubſtantiæ repræſentat, ſeu uno verbo, quatenus ut imagines rerum conſiderantur: hinc clarè ſequitur idearum nullam aliam primam cauſam poſſe dari, præter illam, quam omnes lumine naturali clarè & deſtinctè intelligere, modò oſtendebamus, nempe in quâ eadem ipſa realitas, quam habent objective, formaliter, vel eminenter continetur. Hanc concluſionem, ut clarius intelligatur, uno aut altero exemplo explicabo. Nempe, ſi quis libros aliquos, (puta unum alicujus inſignis Philoſophi, alterum alicujus nugatoris) unâ eademque manu ſcriptos videt, nec ad ſenſum verborum (hoc eſt, quatenus veluti imagines ſunt); ſed tantum ad delineamenta characterum, & ordinem literarum attendit: nullam inæqualitatem, quæ ipſum cogat, diverſas cauſas quærere, inter ipſos agnoſcet; ſed ipſi ab eadem cauſa eodem

De hoc etiam certi ſumus, quia id in nobis quatenus cogitantes comperimus. Vide præc. Schol.

demque modo proceſsiſſe videbuntur. Verùm ſi ad ſenſum verborum, & orationum attendat, magnam inter ipſos inæqualitatem reperiet: Ac proinde concludet unius libri cauſam primam valde diverſam à primâ cauſâ alterius fuiſſe, unamque aliâ tantò perfectiorem revera fuiſſe; quantùm ſenſum orationum utriuſque libri, ſive quantùm verba, quatenus veluti imagines conſiderantur, ab invicem differre reperit. Loquor autem de primâ cauſâ librorum, quæ neceſſario debet dari, quamvis concedam, imò ſupponam, unum librum ex alio deſcribi poſſe, ut per ſe eſt manifeſtum. Idem etiam clarè explicari poteſt exemplo effigiei, putà alicujus Principis: nam ſi ad ipſius materialia tantum attendamus, nullam inæqualitatem inter ipſam, & alias effigies reperiemus, quæ nos cogat diverſas cauſas quærere: imò nihil obſtabit, quin poſsimus cogitare, illam ex alia imagine fuiſſe depictam; & iſtam rurſus ex aliâ, & ſic in infinitum: Nam ad ejus delineamenta nullam aliam cauſam requiri ſatis dignoſcemus. Verùm ſi ad imaginem, quatenus imago eſt, attendamus, ſtatim cauſam primam cogemur quærere, quæ formaliter, vel eminenter contineat id, quod illa imago repræſentativè continet. Nec video, quid ad confirmandum & dilucidandum hoc axioma ulterius deſiderêtur.

X. Non minor cauſa requiritur ad rem conſervandam, quam ad ipſam primùm producendam.

Ex eo, quod hoc tempore cogitamus, non neceſſario ſequitur nos poſtea cogitaturos. Nam conceptus, quem noſtræ cogitationis habemus, non involvit, ſive non continet neceſſariam cogitationis exiſtentiam; poſſum enim cogitationem, quamvis ſupponam eam non exiſtere, clarè, & diſtinctè concipere. Cùm autem uniuscujuſque cauſæ natura debeat in ſe continere aut involvere perfectionem ſui effectus (per Ax. 8.): hinc clarè ſequitur, aliquid in nobis, aut extra nos, quod nondum intelleximus, adhuc neceſſariò dari, cujus conceptus ſive natura involvat exiſtentiam, quodque ſit cauſa, cur noſtra cogitatio incepit exiſtere, & etiam, ut exiſtere pergat. Nam quamvis noſtra cogitatio incepit exiſtere, non ideo ejus natura, & eſſentia neceſſariam exiſtentiam magis involvit, quam antequam exiſteret, ideoque eadem vi eget, ut in exiſtendo perſeveret, quaeget,

Hic unuſquiſque in ſe, quatenus eſt res cogitans, comperit.

ut existere incipiat. Et hoc, quod de cogitatione dicimus, dicendum etiam de omni re, cujus essentia non involvit necessariam existentiam.

XI. Nulla res existit, de qua non possit quæri, quænam sit causa (sive ratio), cur existat. Vide Ax. 1. Cartesii.

Cùm existere sit quid positivum, non possumus dicere, quod habeat nihil pro causa (per ax. 7.); ergo aliquam positivam causam, sive rationem, cur existat, assignare debemus, eamque externam, hoc est, quæ extra rem ipsam est, vel internam, hoc est, quæ in naturâ & definitione rei ipsius existentis comprehenditur.

Propositiones quatuor sequentes ex Cartesio desumptæ.

PROPOSITIO V.

Dei existentia ex sola ejus naturæ consideratione cognoscitur.

DEMONSTRATIO.

IDem est dicere, aliquid in rei alicujus natura sive conceptu contineri, ac dicere id ipsum de ea re esse verum (per def. 9.): Atqui existentia necessaria in Dei conceptu continetur (per axio. 6.): Ergo verum est de Deo dicere, necessariam existentiam in eo esse, sive ipsum existere.

SCHOLIUM.

EX hac propositione multa præclara sequuntur; imò ab hoc solo, quod ad Dei naturam pertinet existentia, sive, quod Dei conceptus involvit necessariam existentiam, sicut conceptus trianguli, quod ejus tres anguli sint æquales duobus rectis, sive, quod ejus existentia, non secus atque ejus essentia, sit æterna veritas: omnis fere Dei attributorum cognitio, per quam in illius amorem, sive summam beatitudinem ducimur,

cimur, dependet. Quare magnopere deſiderandum eſſet, ut humanum genus tandem aliquando hæc nobiſcum amplecteretur. Fateor quidem, quædam dari præjudicia, quæ impediunt, quo minus unuſquiſque hoc adeo facile intelligat. Verum ſi quis bono animo, & ſolo veritatis, ſuæque veræ utilitatis amore impulſus, rem examinare velit; eaque ſecum perpendere, quæ in Medit. 5. quæque in fine Reſponſionum ad primas Objectiones habentur; & ſimul quæ de æternitate, Capit. 1. Part. 2. noſtræ Appendicis tradimus; is procul dubio rem, quam clariſſimè intelliget & nullus dubitare poterit, an aliquam Dei ideam habeat (quod ſane primum fundamentum eſt humanæ beatitudinis): Nam ſimul clarè videbit, ideam Dei longè à cæterarum rerum ideis differre: ubi nempe intelliget Deum, quoad eſſentiam, & exiſtentiam, à cæteris rebus toto genere diſcrepare: quare, circa hæc Lectorem diutius hic detinere, non eſt opus.

Lege Art 16. part. 1 Principiorum.

PROPOSITIO VI.

Dei exiſtentia ex eo ſolo, quod ejus idea ſit in nobis, à poſteriori demonſtratur.

DEMONSTRATIO.

REalitas objectiva cujuslibet ex noſtris ideis requirit cauſam, in qua eadem ipſa realitas, non tantum objectivè, ſed formaliter, vel eminenter contineatur (per ax. 9.). Habemus autem ideam Dei (per def. 2. & 8.), hujuſque ideæ realitas objectiva nec formaliter, nec eminenter in nobis continetur (per ax. 4.), nec in ullo alio, præterquam in ipſo Deo poteſt contineri (per def. 8.): Ergo hæc idea Dei, quæ in nobis eſt, requirit Deum pro cauſa, Deuſque proinde exiſtit (per ax. 7.).

SCHOLIUM.

QUidam ſunt, qui negant, ſe ullam Dei ideam habere, quem tamen, ut ipſi ajunt, colunt & amant. Et quamvis ipſis Dei definitionem, Deique attributa ob oculos ponas, nihil tamen proficies; non hercle magis, quam ſi virum à nativitate cæcum colorum differentias, prout ipſos videmus, docere moliaris. Verùm, niſi eos, tanquam pro novo animalium genere, medio ſcilicet inter homines & bruta, habere velimus, eorum verba parum curare debemus. Quomodo quæſo alio modo alicujus rei ideam oſtendere poſſumus, quam ejus definitionem tradendo, ejuſq; attributa explicando? quod, cum circa Dei ideam præſtemus, non eſt, quod verba hominum, Dei ideam negantium, propterea tantùm, quod nullam ejus imaginem in cerebro formare poſſunt, moram nobis injiciant.

Deinde notandum, quod Carteſius, ubi citat Ax. 4. ad oſtendendum, quod realitas objectiva ideæ Dei, nec formaliter, nec eminenter in nobis continetur: ſupponit unumquemque ſcire ſe non eſſe ſubſtantiam infinitam, hoc eſt, ſummè intelligentem, ſummè potentem, &c. quod ſupponere poteſt. Qui enim ſcit ſe cogitare, ſcit etiam ſe de multis dubitare, nec omnia clarè, & diſtinctè intelligere.

Deniq; notandum, quod ex def. 8. etiam clarè ſequatur, non poſſe dari plures Deos, ſed tantum unum, ut Propoſ. 11. Hujus, & in 2 Parte noſtræ Appendicis cap. 2. clarè demonſtramus.

PROPOSITIO VII.

Dei exiſtentia demonſtratur etiam ex eo, quod nos ipſi habentes ejus ideam exiſtamus.

SCHOLIUM.

AD hanc propoſitionem demonſtrandam aſſumit Carteſius hæc duo Axiomata, nempe 1. *Quod poteſt efficere id, quod*

quod majus eſt, ſive difficilius, poteſt etiam efficere id, quod minus.
2. *Majus eſt creare ſive (per ax.* 10.*) conſervare ſubſtantiam, quam attributa, ſive proprietates ſubſtantiæ*; quibus quid ſignificare velit, neſcio. Nam quid facile, quid verò difficile vocat? nihil enim abſolutè, ſed tantùm reſpectu cauſæ, facile, aut difficile dicitur. Adeò, ut una, & eadem res eodem tempore reſpectu diverſarum cauſarum facilis, & difficilis dici poſſit. Verùm ſi illa difficilia vocat, quæ magno labore; facilia autem, quæ minori labore ab eâdem cauſâ confici queunt; ut ex. g. vis quæ ſuſtollere poteſt 50 libras, duplò facilius ſuſtollere poterit 25 libras: Non erit ſanè axioma abſolutè verum, nec ex eo id, quod intendit demonſtrare poterit. Nam ubi ait, *ſi haberem vim me ipſum conſervandi, etiam haberem vim mihi dandi omnes perfectiones, quæ mihi deſunt:* (quia ſcilicet non tantam poteſtatem requirunt) ipſi concederem; quod vires, quas impendo ad me conſervandum, poſſent alia plura longe facilius efficere, niſi iis eguiſſem ad me conſervandum: ſed, quamdiu iis utor ad me conſervandum, nego me poſſe eas impendere, ad alia, quamvis faciliora, efficienda, ut in noſtro exemplo clarè videre eſt. Nec difficultatem tollit, ſi dicatur, quòd, cùm ſim res cogitans, neceſſario deberem ſcire, num ego in me conſervando omnes meas vires impendam, & etiam num ea ſit cauſa, cur ego mihi non dem cæteras perfectiones: Nam (præterquam quod de hac re jam non diſputatur; ſed tantum quomodo ex hoc axiomate neceſſitas hujus propoſitionis ſequatur.) ſi id ſcirem, major eſſem, & fortè majores vires requirerem, quam quas habeo, ad me in majori illâ perfectione conſervandum. Deinde neſcio, an major ſit labor ſubſtantiam, quàm attributa creare (ſive conſervare) hoc eſt, ut clarius, & magis Philoſophicè loquar, neſcio, an ſubſtantia non indigeat totâ ſua virtute, & eſſentia, qua ſe fortè conſervat, ad conſervanda ſua attributa. Sed hæc relinquamus, & quæ nobiliſſimus Autor hic vult, ulterius examinemus, videlicet, quid per facile, quid per difficile intelligat. Non pu-

Ne alia exempla quæras, cape exemplum aranæ, quæ telam facile texit, quam homines, non niſi difficillime texerent: homines contra quamplurima facillime faciunt, quæ forte angelis impoſſibilia ſunt.

to, nec mihi ullo modo perſuadeo, cum per difficile intelligere id, quod impoſſibile (ac proinde nullo modo poteſt concipi, quomodo fiat), & per facile id, quod nullam implicat contradictionem (ac proinde facile concipitur, quomodo fiat): quamvis in 3 Medit. primo obtutu id videatur velle, ubi ait, *Nec putare debeo, illa forſan, quæ mihi deſunt, difficilius acquiri poſſe, quam illa, quæ jam in me ſunt. Nam contrà manifeſtum eſt, longè difficilius fuiſſe me, hoc eſt, rem, ſive ſubſtantiam cogitantem, ex nihilo emergere, quam &c.* Nam id nec cum verbis autoris conveniret, nec etiam ejus ingenium redoleret. Etenim, ut primum omittam, inter poſſibile, & impoſſibile, ſive inter id, quod intelligibile eſt, & inter id, quod non intelligibile eſt, nulla datur ratio; ſicuti neque inter aliquid & nihil, & poteſtas ad impoſſibilia non magis quadrat, quam creatio, & generatio ad non entia: ideoque nullo modo inter ſe comparanda. Adde quod illa tantum inter ſe comparare & eorum rationem cognoſcere poſſum, quorum omnium clarum & diſtinctum habeo conceptum. Nego igitur ſequi, quod qui poteſt impoſſibile facere, poſſit etiam facere id, quod, poſſibile eſt. Quæſo enim, quænam eſſet hæc concluſio? ſi quis poteſt facere circulum quadratum, poterit etiam facere circulum, cujus omnes lineæ, quæ à centro ad circumferentiam poſſunt duci, ſint æquales: Aut, ſi quis poteſt facere, ut τὸ *nihil* patiatur, eoque uti, tanquam materia, ex qua aliquid producat, etiam habebit poteſtatem, ut ex aliqua re aliquid faciat. Nam, uti dixi, inter hæc & ſimilia nulla datur convenientia, neque analogia, neque comparatio, neque ulla quæcumque ratio. Atque hoc unusquiſque videre poteſt, modo ad rem parùm attendat. Quare hoc ab ingenio Carteſii prorſus alienum exiſtimo. Verùm ſi ad 2 axioma ex duobus modo allatis attendo, videtur, quod per majus, & difficilius intelligere vult id, quod perfectius eſt, per minus verò & facilius, id, quod imperfectius. At hoc etiam valde obſcurum videtur. Nam eadem hic eſt difficultas, quæ ſuperius.

Nego

Nego enim, ut ſuprà, cum, qui poteſt majus facere, poſſe ſimul, & eadem opera, ut in Propoſitione debet ſupponi, quod minus eſt, facere. Deinde ubi ait, *majus eſt creare, ſive conſervare ſubſtantiam, quam attributa*, ſanè per attributa non intelligere poteſt, id, quod in ſubſtantia formaliter continetur, & ab ipſa ſubſtantia non niſi ratione diſtinguitur: Nam tum idem eſt creare ſubſtantiam, quam creare attributa. Nec etiam, propter eandem rationem, intelligere poteſt proprietates ſubſtantiæ, quæ ex ejus eſſentiâ, & definitione neceſſariò ſequuntur. Multò etiam minùs intelligere poteſt, quod tamen videtur velle, proprietates & attributa alterius ſubſtantię, ut ex. gr. ſi dico, quod poteſtatem habeo ad me, ſubſtantiam ſcilicet cogitantem finitam, conſervandum, non ideo poſſum dicere, quod habeam etiam poteſtatem mihi dandi perfectiones ſubſtantię infinitæ, quæ totâ eſſentiâ à meâ differt. Nam vis ſive eſſentia, quâ in meo eſſe me conſervo, toto genere differt à vi ſive eſſentiâ, qua ſubſtantia abſolutè infinita ſe conſervat, à quâ ejus vires, & proprietates, non niſi ratione diſtinguuntur. Ideoque (quamvis ſupponerem me meipſum conſervare) ſi vellem concipere, me mihi poſſe dare perfectiones ſubſtantiæ abſolutè infinitæ, nihil aliud ſupponerem, quam quod poſſem totam meam eſſentiam in nihilum redigere, & denuò ſubſtantiam infinitam creare. Quod ſane longè majus eſſet, quam tantum ſupponere, quod poſſem me ſubſtantiam finitam conſervare. Cùm itaque nihil horum per attributa ſive proprietates intelligere poſſit, nihil aliud reſtat, quam qualitates, quas ipſa ſubſtantia eminenter continet, (ut hæc, & illa cogitatio in mente, quas mihi deeſſe, clarè percipio), non verò quas altera ſubſtantia eminenter continet, (ut hic, & ille motus in extenſione: Nam tales perfectiones mihi, rei ſcilicet cogitanti, non ſunt perfectiones, ideoque non mihi deſunt). Sed tum id, quod Carteſius demonſtrare vult, nullo modo ex hoc axiomate concludi poteſt. Nempe quod, ſi me conſervo, etiam habeo,

Nota, quod vis, qua ſubſtantia ſe conſervat, nihil eſt præter ejus eſſentiam, & non niſi nomine ab eadem differt, quòd maximè locum habebit, ubi in Appendice de Dei potentia agemus.

beo, poteſtatem mihi dandi omnes perfectiones, quas ad ens ſummè perfectum clarè reperio pertinere; ut ex modo dictis ſatis conſtat. Verùm ne rem indemonſtratam relinquamus, & omnem confuſionem vitemus; viſum fuit ſequentia Lemmata in anteceſſum demonſtrare, ac poſtea iis, demonſtrationem hujus 7 Propoſitionis ſuperſtruere.

LEMMA I.

Quò res ſuâ naturâ perfectior eſt, eò majorem exiſtentiam, & magis neceſſariam involvit; & contrà, quò magis neceſſariam exiſtentiam res ſua natura involvit, eò perfectior eſt.

DEMONSTRATIO.

IN omnis rei idea ſive conceptu continetur exiſtentia (per ax.6.). Ponatur igitur A eſſe res, quæ decem gradus habet perfectionis. Dico, quod ejus conceptus plus exiſtentiæ involvit, quam ſi ſupponeretur, quinque tantum gradus perfectionis continere. Nam cùm de nihilo nullam poſſimus affirmare exiſtentiam (vide Schol. Propoſ.4.), quantùm ejus perfectioni cogitatione detrahimus, ac proinde magis, ac magis, de nihilo participare concipimus, tantùm etiam poſſibilitatis exiſtentiæ de ipſo negamus. Ideoque, ſi ejus gradus perfectionis in infinitum diminui concipiamus uſque ad o, ſive ciphram: nullam exiſtentiam, ſive impoſſibilem exiſtentiam continebit. Si autem contrà ejus gradus in infinitum augeamus, ſummam exiſtentiam, ac proinde ſummè neceſſariam involvere concipiemus. Quod erat primum. Deinde cum hæc duo nullo modo ſeparari queant (ut ex ax. 6. totaque prima parte hujus ſatis conſtat): clarè ſequitur id, quod ſecundo loco demonſtrandum proponebatur.

Nota I. Quod, quamvis multa dicantur neceſſariò exiſtere ex eo ſolo, quod datur cauſa determinata ad ipſa producenda: de iis hic non loquamur, ſed tantum de ea neceſſitate, & poſſibilitate, quæ ex ſola

ſola naturæ, ſive rei eſſentiæ conſideratione, nulla habita ratione cauſæ, ſequitur.

Nota II. Quod hic non loquimur de pulchritudine, & de aliis perfectionibus, quas homines ex ſuperſtitione, & ignorantia perfectiones vocare voluerunt: Sed per perfectionem intelligo tantùm realitatem, ſive eſſe. Ut ex. gr. in ſubſtantia plus realitatis contineri percipio, quam in modis, ſive accidentibus: Ideoque ipſam magis neceſſariam & perfectiorem exiſtentiam continere clarè intelligo, quam accidentia, ut ex Axiom. 4. & 7. ſatis conſtat.

COROLLARIUM.

Hinc ſequitur, quicquid neceſſariam exiſtentiam involvit, eſſe ens ſummè perfectum, ſeu Deum.

LEMMA II.

Qui potentiam habet ſe conſervandi, ejus natura neceſſariam involvit exiſtentiam.

DEMONSTRATIO.

QUi vim habet ſe conſervandi, vim etiam habet ſe creandi (per ax. 10.), hoc eſt, (ut facile omnes concedent) nullâ indiget cauſâ externâ ad exiſtendum: ſed ſola ipſius natura erit cauſa ſufficiens, ut exiſtat, vel poſſibiliter, vel neceſſario. At non poſſibiliter. Nam (per id, quod circa ax. 10. demonſtravi) tum ex eo, quod jam exiſteret, non ſequeretur, ipſum poſtea extiturum (quod eſt contra Hyp.): Ergo neceſſariò, hoc eſt, ejus natura neceſſariam involvit exiſtentiam, quod erat demonſtrandum.

DEMONSTRATIO.

Propoſitionis VII.

SI vim haberem me ipſum conſervandi, talis eſſem naturæ, ut neceſſariam involverem exiſtentiam (per Lem. 2.):

ergo (per corol. Lem. 1.) mea natura omnes contineret perfectiones. Atqui in me, quatenus ſum res cogitans, multas imperfectiones invenio, ut quod dubitem, quod cupiam &c. de quibus (per Schol. Propoſ. 4.) ſum certus; ergo nullam vim habeo me conſervandi. Nec dicere poſſum, quod ideo jam careo illis perfectionibus, quia eas mihi jam denegare volo; nam id clarè primo Lemmati & ei, quod in me (per ax. 5.) clarè reperio, repugnaret.

Deinde non poſſum jam exiſtere, quin conſerver, quamdiu exiſto, ſive à me ipſo, ſiquidem habeam iſtam vim, ſive ab alio, qui illam habet (per ax. 10. & 11.). Atqui exiſto (per Schol. Propoſ. 4.), & tamen non habeo vim me ipſum conſervandi, ut jam jam probatum eſt; ergo ab alio conſervor. Sed non ab alio, qui vim non habet ſe conſervandi (per eandem rationem, quâ modò me meipſum conſervare non poſſe demonſtravi): ergo ab alio, qui vim habet ſe conſervandi, hoc eſt, (per Lemm. 2.) cujus natura neceſſariam involvit exiſtentiam, hoc eſt, (per corol. Lemm. 1.) qui omnes perfectiones, quas ad ens ſummè perfectum clarè pertinere intelligo, continet; ac proinde ens ſumme perfectum, hoc eſt (per def. 8.), Deus exiſtit, ut er. dem.

COROLLARIUM.

Deus poteſt efficere id omne, quòd clarè percipimus, prout id ipſum percipimus.

DEMONSTRATIO.

HÆc omnia clarè ſequuntur ex præcedenti Propoſitione. In ipſâ enim Deum exiſtere ex eo probatum eſt, quod debeat aliquis exiſtere, in quo ſint omnes perfectiones, quarum idea aliqua èſt in nobis: Eſt autem in nobis idea tantæ alicujus potentiæ, ut ab illo ſolo, in quo ipſa eſt, cœlum, & terra, & alia etiam omnia, quæ à me, ut poſſibilia, intelligun-

tur

tur, fieri poſſint; ergo ſimul cum Dei exiſtentiâ hæc etiam omnia de ipſo probata ſunt.

PROPOSITIO VIII.

Mens & corpus realiter diſtinguuntur.

DEMONSTRATIO.

QUidquid clarè percipimus, à Deo fieri poteſt, prout illud percipimus (per coroll. præc.): Sed clarè percipimus mentem, hoc eſt, (per def. 6.) ſubſtantiam cogitantem abſque corpore, hoc eſt (per def. 7.) abſque ſubſtantiâ aliquâ extenſâ (per propoſ. 3. & 4.), & vice verſâ corpus abſque mente (ut facile omnes concedunt). Ergo ſaltem per divinam potentiam mens eſſe poteſt ſine corpore, & corpus ſine mente.

Jam vero ſubſtantiæ, quæ eſſe poſſunt una abſque aliâ, realiter diſtinguuntur (per def. 10.); atqui mens & corpus ſunt ſubſtantiæ (per def. 5. 6. 7.), quę una abſq; alia eſſe poſſunt (ut mox probatum eſt): ergo mens, & corpus realiter diſtinguuntur.

Vide Propoſit. 4. Carteſii in fine Reſponſionum ad 2 Objectiones; & quæ habentur 1. Parte Principiorum ab Art. 22. uſque ad Art. 29: Nam ea hic deſcribere non operæ pretium judico.

PROPOSITIO IX.

Deus eſt ſummè intelligens.

DEMONSTRATIO.

SI neges; ergo Deus, aut nihil, aut non omnia, ſeu quædam tantum intelliget. At quædam tantum intelligere, & cætera ignorare, limitatum & imperfectum intellectum ſupponit, quem Deo adſcribere abſurdum eſt (per defin. 8.).

Deum autem nihil intelligere, vel indicat in Deo carentiam intellectionis, ut in hominibus, ubi nihil intelligunt, ac imperfectionem involvit, quæ in Deum cadere non potest (per eand. definit.) vel indicat, quod perfectioni Dei repugnet, ipsum aliquid intelligere: At, cum sic intellectio de ipso prorsus negetur, non poterit, ullum intellectum creare (per axiom.8.). Cum autem intellectus clarè, & distinctè à nobis percipiatur, Deus illius causa esse poterit (per coroll. propos.7.). Ergo longè abest, ut Dei perfectioni repugnet, ipsum aliquid intelligere: Quare erit summè intelligens, q.e. demonstr.

SCHOLIUM.

Quamvis concedendum sit, Deum esse incorporeum, ut Propos. 16. demonstratur; hoc tamen non ita accipiendum, ac si omnes Extensionis perfectiones ab eo removendæ sint; sed tantummodo quatenus extensionis natura & proprietates imperfectionem aliquam involvunt. Quod idem etiam de Dei intellectione dicendum est, quemadmodum omnes, qui ultra vulgus Philosophorum sapere volunt, fatentur, ut fuse explicabitur in nostr. Append. Part.2. cap.7.

PROPOSITIO X.

Quicquid perfectionis in Deo reperitur, à Deo est.

DEMONSTRATIO.

SI neges: ponatur in Deo aliquam perfectionem esse, quæ à Deo non est. Erit illa in Deo, vel à se, vel ab aliquo à Deo diverso. Si à se, ergo necessariam, sive minimè possibilem habebit existentiam (per Lemm.2. prop.7.), adeoq; (per corol. Lemm.1. ejusdem) erit quid summè perfectum, ac proinde (per definit.8.) Deus. Si itaque dicatur aliquid in Deo esse,

esse, quòd à se est, simul dicitur id esse à Deo, q. e. demonst. Si verò ab aliquo à Deo diverso sit, ergo Deus non potest concipi per se summè perfectus contra definit. 8. Ergo quicquid perfectionis in Deo reperitur, à Deo est. q. e. d.

PROPOSITIO XI.

Non dantur plures Dii.

DEMONSTRATIO.

SI neges; concipe, si fieri potest, plures Deos, ex. grat. A & B; tum necessario (per propos. 9) tam A, quàm B erit summè intelligens, hoc est, A intelliget omnia, se scilicet, & B; & vicissim B intelliget se, & A. Sed cum A & B necessario existant (per propos. 5.); ergò causa veritatis & necessitatis ideæ ipsius B, quæ est in A, est ipse B; & contra causa veritatis, & necessitatis ideæ ipsius A, quæ est in B, est ipse A; quapropter erit aliqua perfectio in A, quæ non est ab A; & in B, quæ non est à B: ideoque (per præced.) A nec B erunt Dii; adeoque non dantur plures. q. e. d.

Notandum hic, quòd ex hoc solo, quòd aliqua res ex se necessariam involvit existentiam, qualis est Deus, necessariò sequatur, illam esse unicam: ut unusquisque apud se attentâ meditatione deprehendere poterit, atque etiam hic demonstrare potuissem; sed modo non ita ab omnibus perceptibili, quemadmodum in hac propositione factum est.

PROPOSITIO XII.

Omnia quæ existunt, à sola vi Dei conservantur.

DEMONSTRATIO.

SI negas; supponatur aliquid se ipsum conservare; quare (per Lemm. 2. propos. 7.) ejus natura necessariam involvit

vit exiſtentiam; ac proinde (per corollar. Lem. 1. ejuſdem) eſſet Deus, darenturque plures Dii, quod eſt abſurdum (per præc.). Ergo nihil exiſtit, quod ſolâ vi Dei non conſervetur q. e. d.

COROLLARIUM I.

Deus eſt omnium rerum Creator.

DEMONSTRATIO.

Deus (per præc.) omnia conſervat, hoc eſt (per ax. 10.) omnia quæ exiſtunt creavit, & adhuc continuo creat.

COROLLARIUM II.

Res nullam ex ſe habent eſſentiam, quæ ſit cauſa cognitionis Dei: ſed contrà, Deus eſt cauſa rerum, etiam quoad earum eſſentiam.

DEMONSTRATIO.

Cum nihil perfectionis in Deo reperiatur, quod à Deo non ſit, (per propoſ. 10.); nullam res ex ſe habebunt eſſentiam, quæ poſſit eſſe cauſa cognitionis Dei. Sed contra, cùm Deus omnia non ex alio generarit, ſed prorſus crearit (per prop. 12. cum cor.), & actio creandi nullam agnoſcat cauſam præter efficientem, (ſic enim creationem definio) quæ Deus eſt: ſequitur, res ante creationem prorſus nihil fuiſſe; ac proinde etiam Deum cauſam fuiſſe earum eſſentiæ, q. e. d.

Notandum, hoc Corollarium ex eo etiam patere, quod Deus ſit omnium rerum cauſa ſive creator (per coroll. 1.), & quod cauſa omnes effectus perfectiones in ſe continere debeat (per axiom. 8.), quemadmodum unuſquiſque facile videre poteſt.

CO-

COROLLARIUM III.

Hinc clarè ſequitur, Deum non ſentire, nec propriè percipere: nam illius intellectus à nulla re extra ſe determinatur: ſed omnia ab eo profluunt.

COROLLARIUM IV.

Deus eſt cauſalitate prior rerum eſſentiâ & exiſtentiâ, ut clarè ex 1. & 2. corollar. hujus propoſit. ſequitur.

PROPOSITIO XIII.

Deus eſt ſumme verax, minimeque deceptor.

DEMONSTRATIO.

DEo (per def. 8.) nihil affingere poſſumus, in quo aliquid imperfectionis deprehendimus: & cum omnis deceptio (ut per ſe notum), aut fallendi voluntas, non niſi ex malitiâ vel metu procedat: metus autem diminutam potentiam ſupponat; malitia verò privationem bonitatis: nulla deceptio, aut fallendi voluntas Deo, enti ſcilicet ſummè potenti, & ſummè bono, erit adſcribenda: ſed contra ſummè verax minimèque deceptor dicendus, q. e. d. Vide Reſponſion. ad ſecundas Objectiones, num. 4.

Hoc axioma inter axiomata non recenſui, quia minime opus fuit. Nam eo non egebam, niſi ad ſolam hanc propr. demonſtr. & etiam quia, quamdiu Dei exiſtentiam ignorabam, nolui aliqua pro veris aſſumere, niſi quæ potuam ex primo cognito ego ſum *deducerem, ut in Prop. 4. Scholio monui. Porro definitiones metus, & malitiæ non etiam inter definitiones poſui, quia nemo eas ignorat, & iis non egeo, niſi ad ſolam hanc propoſitionem.*

PROPOSITIO XIV.

Quidquid clare, & diſtincte percipimus, verum eſt.

FAcultas veri à falſo dignoſcendi, quæ (ut unuſquiſque in ſe comperit, & ex omnibus, quæ jam demonſtrata ſunt

videre

videre eſt) in nobis eſt, à Deo creata eſt, & continuo conſervatur (per prof. 12. cum coroll.), hoc eſt, (per præc.) ab ente ſummè veraci minimèque deceptore, neque ullam facultatem (ut unuſquiſque in ſe comperit) nobis donavit abſtinendi, ſive non aſſentiendi iis, quę clarè & diſtinctè percipimus; quare ſi circa ea deciperemur, omnino à Deo eſſemus decepti, eſſetque deceptor, quod (per prçc.) eſt abſurdum; quidquid igitur, clarè, & diſtinctè percipimus, verum eſt, q. e. d.

SCHOLIUM.

Cùm ea, quibus neceſſario, ubi à nobis clarè & diſtinctè percipiuntur, aſſentiri debemus, neceſſariò ſint vera: atque facultatem habeamus iis, quæ obſcura & dubia ſunt, ſive quæ ex certiſſimis principiis non ſunt deducta, non aſſentiendi, ut unuſquiſque in ſe comperit: clarè ſequitur nos ſemper poſſe cavere, ne in errores incidamus, & ne unquam fallamur (quod idem adhuc clarius ex ſequentibus intelligetur), modo ſerio apud nos conſtituamus, nihil affirmare, quod non clarè, & diſtinctè percipimus, ſive quod ex per ſe claris & certis principiis non deductum eſt.

PROPOSITIO XV.

Error non eſt quid poſitivum.

DEMONSTRATIO.

SI error quid poſitivum eſſet, ſolum Deum pro cauſa haberet, à quo continuo deberet procreari (per propoſ. 12.). At qui hoc eſt abſurdum (per propoſ. 13.): Ergo error non eſt, quid poſitivum. q. e. d.

SCHO-

SCHOLIUM.

CUm error non ſit quid poſitivum in homine, nihil aliud poterit eſſe, quam privatio recti uſus libertatis (per Schol. propoſ. 14.): ideoque non, niſi eo ſenſu, quo dicimus abſentiam Solis cauſam eſſe tenebrarum, vel quo Deus, propterea quod infantem, excepto viſu, aliis ſimilem fecit, cauſa cæcitatis dicitur; Deus cauſa erroris dicendus; nempe quia nobis intellectum ad pauca tantum ſe extendentem dedit. Quòd ut clarè intelligatur, & ſimul etiam quomodo error à ſolo abuſu noſtræ voluntatis pendeat, ac denique quomodo ab errore cavere poſſimus: modos, quos cogitandi habemus, in memoriam revocemus, nempe omnes modos percipiendi (ut ſentire, imaginari, & purè intelligere) & volendi (ut cupere, averſari, affirmare, negare, & dubitare); nam omnes ad hos duos referri poſſunt.

Circa eos autem venit notandum: 1°. quod mens, quatenus res clarè, & diſtinctè intelligit, iiſque aſſentitur, non poteſt falli (per propoſ. 14.): neque etiam, quatenus res tantum percipit, neque iis aſſentitur. Nam, quamvis jam percipiam equum alatum, certum eſt, hanc perceptionem nihil falſitatis continere, quamdiu non aſſentior, verum eſſe, dari equum alatum, neque etiam quamdiu dubito, an detur equus alatus. Et cùm aſſentiri nihil aliud ſit, quam voluntatem determinare, ſequitur, errorem à ſolo uſu voluntatis pendere.

Quod ut adhuc clarius pateat, notandum 2°; quod nos non tantum habeamus poteſtatem iis aſſentiendi, quæ clarè, & diſtinctè percipimus; verum etiam iis, quæ quocumque alio modo percipimus. Nam noſtra voluntas nullis limitibus determinata eſt. Quod clarè unuſquiſq; videre poteſt, modo ad hoc attendat, nempe quod, ſi Deus facultatem noſtram intelligendi infinitam reddere vellet, non ipſi opus eſſet, nobis ampliorem facultatem aſſentiendi dare, quàm ea eſt, quam jam

habemus, ut omnibus à nobis intellectis aſſentiri poſſemus: Sed hæc eadem, quam jam habemus, rebus infinitis aſſentiendis ſufficeret. Et re ipſa etiam experimur, quod multis aſſentiamur, quæ ex certis principiis non deduximus. Porrò ex his clarè videre eſt, quod, ſi intellectus æquè latiùs ſe extenderet ac volendi facultas, ſive, ſi volendi facultas non latiùs ſe extendere poſſet, quàm intellectus, vel denique ſi facultatem volendi intra limites intellectus continere poſſemus, nunquam in errorem incideremus (per propoſ. 14.).

Verum ad duo priora præſtanda nullam habemus poteſtatem: nam implicat, ut voluntas non ſit infinita & intellectus creatus finitus. Reſtat igitur tertium conſiderandum: nempe an habeamus poteſtatem facultatem noſtram volendi intra limites intellectus continendi. Cùm autem voluntas libera ſit ad ſe determinandam: ſequitur nos poteſtatem habere facultatem aſſentiendi intra limites intellectus continendi, ac proinde efficiendi, ne in errorem incidamus; unde evidentiſſime patet, à ſolo uſu libertatis voluntatis pendere, ne unquam fallamur. Quod autem noſtra voluntas libera ſit, demonſtratur Art. 39. Part. 1. Princ. & in 4. Meditatione, & à nobis in noſtr. Append. cap. ultimo fuſe etiam oſtenditur. Et quamuis, ubi rem clarè & diſtinctè percipimus, non poſſimus ei non aſſentiri; neceſſarius iſte aſſenſus non ab infirmitate, ſed à ſolâ libertate, & perfectione noſtræ voluntatis pendet. Nam aſſentiri vero eſt in nobis perfectio (ut per ſe ſatis notum), nec voluntas unquam perfectior eſt, nec magis libera, quam cum ſe prorſus determinat. Quod cum contingere poteſt, ubi mens aliquid clarè, & diſtinctè intelligit, neceſſariò eam perfectionem ſtatim ſibi dabit (per ax. 5.). Quare longè abeſt, ut per id, quod minimè indifferentes ſimus in amplectendo vero, nos minus liberos eſſe intelligamus. Nam contrà pro certo ſtatuimus, quò magis indifferentes ſumus, eò nos minus liberos eſſe.

Reſtat itaque hic tantùm explicandum, quomodo error reſpe-

reſpectu hominis nihil ſit, niſi privatio, reſpectu vero Dei mera negatio. Quod facile videbimus, ſi priùs animadvertamus, nos ex eo, quod multa percipimus præter ea, quæ clarè intelligimus, perfectiores eſſe, quàm ſi ea non perciperemus: ut clarè ex eo conſtat, quod, ſi ſupponeretur, nos nihil clarè & diſtinctè poſſe percipere; ſed tantùm confuſè, nihil perfectius haberemus, quam res confusè percipere, nec aliud noſtræ naturæ deſiderari poſſet. Porro rebus, quamvis confuſis, aſſentiri, quatenus etiam actio quædam eſt, perfectio eſt. Quod etiam unicuique manifeſtum erit, ſi, ut ſupra, ſupponat, naturæ hominis repugnare, ut res clarè, & diſtinctè percipiat; tum enim perſpicuum evadet, longè melius homini eſſe, rebus, quamvis confuſis, aſſentiri, & libertatem exercere, quàm ſemper indifferentem, hoc eſt (ut modo oſtendimus) in infimo gradu libertatis manere. Et ſi etiam ad uſum, & utilitatem vitæ humanæ attendere volumus, id prorſus neceſſarium reperiemus, ut quotidiana experientia unumquemque ſatis docet.

Cùm igitur omnes modi, quos cogitandi habemus, quatenus in ſe ſolis ſpectantur, perfecti ſint: non, poteſt eatenus in iis eſſe id, quod formam erroris conſtituit. Verùm ſi ad modos volendi, prout ab invicem differunt, attendamus, alios aliis perfectiores inveniemus, prout alii aliis voluntatem minus indifferentem, hoc eſt, magis liberam reddunt. Deinde etiam videbimus, quòd, quamdiu rebus confuſis aſſentimur, efficiamus, ut mens minus apta ſit ad verùm à falſo dignoſcendum: ac proinde ut optimâ libertate careamus. Quare rebus confuſis aſſentiri, quatenus quid poſitivum eſt, nihil imperfectionis, nec formam erroris continet: ſed tantum quatenus eo optimâ libertate, quæ ad noſtram naturam ſpectat, & in noſtra poteſtate eſt, nos noſmet privamus. Tota igitur imperfectio erroris in ſolâ optimæ libertatis privatione conſiſtet, quæ error vocatur; Privatio autem dicitur, quia aliqua perfectione, quæ noſtræ naturæ competit, privamur;

Error verò, quia noſtrâ culpâ ea perfectione caremus, quatenus, quemadmodum poſſumus, voluntatem non intra limites intellectus continemus. Cum igitur error nihil aliud ſit reſpectu hominis, quam privatio perfecti, ſive recti uſus libertatis, ſequitur illam non in ullâ facultate, quam à Deo habet, nec etiam in ulla facultatum operatione, quatenus à Deo dependet, ſitam eſſe. Nec dicere poſſumus, quod Deus nos majori intellectu, quam nobis dare potuerat, privavit, ac proinde fecit, ut in errores incidere poſſemus: Nam nullius rei natura à Deo aliquid exigere poteſt: Nec aliquid ad aliquam rem pertinet, præter id, quod Dei voluntas ei largiri voluit; nihil enim ante Dei voluntatem extitit, nec etiam concipi poteſt (ut fuſe in noſtr. Appendic. cap. 7 & 8 explicatur). Quare Deus non magis nos majori intellectu, ſive perfectiori facultate intelligendi privavit, quam circulum proprietatibus globi, & peripheriam proprietatibus ſphæræ.

Cum itaque nulla noſtrarum facultatum, quomodocumque conſideretur, ullam in Deo imperfectionem oſtendere poſſit: clarè ſequitur, quod imperfectio illa, in quâ forma erroris conſiſtit, non, niſi reſpectu hominis, ſit privatio; verum ad Deum, ut ejus cauſam relata, non privatio, ſed tantùm negatio dici poſſit.

PROPOSITIO XVI.

Deus eſt incorporeus.

DEMONSTRATIO.

CORpus eſt ſubjectum immediatum motus localis (per def. 7.): quare ſi Deus eſſet corporeus, divideretur in partes, quòd cum clarè involvat imperfectionem, abſurdum eſt de Deo (per def. 8.) affirmare.

ALI-

ALITER.

Si Deus eſſet corporeus, poſſet in partes dividi (per def. 7). Jam vel unaquæque pars per ſe poſſet ſubſiſtere, vel non poſſet ſubſiſtere: ſi hoc, eſſet ſimilis cæteris, quæ à Deo creata ſunt, ac proinde, ut omnis res creata, continuo eadem vi à Deo procrearetur (per propoſ. 10. & ax. 11.) & ad Dei naturam non magis, quam cæteræ res creatæ, pertineret, q. e. abſ. (per prop. 5.) Verum ſi unaquæque pars per ſe exiſtit, debet etiam unaquæque neceſſariam exiſtentiam involvere (per Lem. 2 propoſ. 7.), & conſequenter unaquæque ens eſſet ſummè perfectum (per corol. lem. 2. prop. 7.): ſed hoc etiam eſt abſurdum (per prop. 11.): ergo Deus eſt incorporeus. q. e. dem.

PROPOSITIO XVII.

Deus eſt ens ſimpliciſsimum.

DEMONSTRATIO.

SI Deus ex partibus componeretur, deberent partes (ut facilè omnes concedent) priores ad minimum naturâ Deo eſſe, quod eſt abſurdum (per corol. 4. prop. 12.); Eſt igitur ens ſimpliciſſimum, q. e. d.

COROLLARIUM.

Hinc ſequitur, Dei intelligentiam, voluntatem, ſeu Decretum & Potentiam, non diſtingui, niſi ratione ab ejus eſſentiâ.

PROPOSITIO XVIII.

Deus eſt immutabilis.

DEMONSTRATIO.

SI Deus eſſet mutabilis, non poſſet ex parte, ſed deberet ſecundum totam eſſentiam mutari (per prop. 7.); At eſſentia Dei neceſſario exiſtit (per prop. 5. 6. & 7.): ergo Deus eſt immutabilis. q. e. d.

PROPOSITIO XIX.

Deus eſt æternus.

DEMONSTRATIO.

DEus eſt ens ſummè perfectum (per def. 8.), ex quo ſequitur (per prop. 5.), ipſum neceſſariò exiſtere. Si jam ipſi limitatam exiſtentiam tribuamus, limites ejus exiſtentiæ neceſſario, ſi non à nobis, ſaltem ab ipſo Deo debent intelligi (per prop. 9.), quia eſt ſummè intelligens; quare Deus ultra illos limites ſe, hoc eſt (per def. 8.) ens ſummè perfectum, non exiſtentem intelliget, quod eſt abſurdum (per prop. 5.): ergo Deus non limitatam, ſed infinitam habet exiſtentiam, quam æternitatem vocamus. Vide cap. 1. part. 2. noſtr. Append. Deus igitur eſt æternus, q. e. d.

PROPOSITIO XX.

Deus omnia ab æterno præordinavit.

DEMONSTRATIO.

CUm Deus ſit æternus (per præced.), erit ejus intelligentia æterna, quia ad ejus æternam eſſentiam pertinet (per corol.

corol. prop. 17.) : atqui ejus intellectus ab ejus voluntate ſive decreto in re non differt (per corol. prop. 17.); ergo cum dicimus Deum ab æterno res intellexiſſe, ſimul dicimus eum ab æterno res ita voluiſſe, ſive decreviſſe, q. e. d.

COROLLARIUM.

Ex hac Propoſitione ſequitur Deum eſſe ſummè conſtantem in ſuis operibus.

PROPOSITIO XXI.

Subſtantia extenſa in longum, latum, & profundum revera exiſtit: Noſque uni ejus parti uniti ſumus.

RES extenſa, prout à nobis clarè & diſtinctè percipitur, ad Dei naturam non pertinet (per propoſ. 10.): Sed à Deo creari poteſt (per corol. propoſ. 7. & per prop. 8.). Deinde clarè & diſtinctè percipimus, (ut unuſquiſque in ſe, quatenus cogitat, reperit) ſubſtantiam extenſam cauſam ſufficientem eſſe ad producendum in nobis titillationem, dolorem, ſimileſque ideas, ſive ſenſationes, quæ continuò in nobis, quamvis invitis, producuntur: at, ſi præter ſubſtantiam extenſam, aliam noſtrarum ſenſationum cauſam, putà Deum, aut Angelum fingere volumus, ſtatim nos clarum ac diſtinctum, quem habemus, conceptum deſtruimus. Quapropter, quamdiu ad noſtras perceptiones rectè attendimus, ut nihil admittamus, niſi quòd clarè & diſtinctè percipimus, prorſus propenſi, ſeu minimè indifferentes erimus ad aſſentiendum, quòd ſubſtantia extenſa ſola ſit cauſa noſtrarum ſenſationum; ac proinde ad affirmandum, quòd res extenſa à Deo creata, exiſtat. Atque in hoc ſanè falli non poſſumus (per prop. 14. cum Scholio): Quarè verè affirmatur, quod ſubſtantia extenſa

Vide demonſtrationem propoſ. 14. & Schol. propoſ. 15.

tenſa in longum, latum, & profundum exiſtat, quod erat primum.

Porro inter noſtras ſenſationes, quæ in nobis (ut jam demonſtravimus) à ſubſtantiâ extenſâ produci debent, magnam differentiam obſervamus, nempe ubi dico me ſentire, ſeu videre arborem, ſeu ubi dico, me ſitire, dolere, &c. Hujus autem differentiæ cauſam clarè video me non poſſe percipere, niſi priùs intelligam, me uni parti materiæ arctè eſſe unitum, & aliis non item. Quod cum clare & diſtinctè intelligam, nec ullo alio modo à me percipi poſſit: verum eſt (per propoſ. 14. cum Scholio), me uni materiæ parti unitum eſſe, quod erat ſecundum. Demonſtravimus igitur, quod e. d.

Nota: Niſi Lector hic ſe conſideret tantum, ut rem cogitantem, & corpore carentem; & omnes rationes, quas antea habuit credendi, quod corpus exiſtat, tanquam præjudicia deponat, fruſtrà hanc demonſtrationem intelligere conabitur.

Finis primæ Partis.

PRIN-

PRINCIPIA PHILOSOPHIÆ
MORE GEOMETRICO DEMONSTRATA.
PARS II.

POSTULATUM.

PEtitur hic tantum, ut unuſquiſque ad ſuas perceptiones quàm accuratiſſimè attendat, quò clarum ab obſcuro diſtinguere poſſit.

DEFINITIONES.

I. *Extenſio* eſt id, quod tribus dimenſionibus conſtat: non autem per extenſionem intelligimus actum extendendi, aut aliquid à quantitate diſtinctum.

II. Per *Subſtantiam* intelligimus id, quod ad exiſtendum ſolo Dei concurſu indiget.

III. *Atomus* eſt pars materiæ ſua naturâ indiviſibilis.

IV. *Indefinitum* eſt id, cujus fines (ſi quos habet) ab humano intellectu inveſtigari nequeunt.

V. *Vacuum* eſt extenſio ſine ſubſtantiâ corporeâ.

VI. *Spatium* ab extenſione non, niſi ratione, diſtinguimus, ſive in re non differt. Lege Art. 10. Part. 2. Princip.

VII. Quod per cogitationem dividi intelligimus, id *diviſibile* eſt, ſaltem potentiâ.

VIII. *Motus localis* eſt tranſlatio unius partis materiæ, ſive unius corporis, ex viciniâ eorum corporum, quæ illud immediatè contingunt, & tanquam quieſcentia ſpectantur, in viciniam aliorum.

Hac Definitione utitur Carteſius ad motum localem explicandum, quæ ut rectè intelligatur, conſiderandum venit

1°. *Quod per partem materiæ intelligit, id omne, quod ſimul tranſfertur, etſi rurſus id ipſum conſtare poſsit ex multis partibus.*

2°. *Quod ad vitandam confuſionem in hac definitione loquitur tantum de eo, quod perpetuò eſt in re mobili, ſcilicet tranſlatione, ne confundatur, ut paſsim ab aliis factum eſt, cum vi vel actione, quæ transfert: Quam vim vel actionem vulgò putant tantùm ad motum requiri; non verò ad quietem, in quo planè decipiuntur. Nam, ut per ſe notum, eadem vis requiritur, ut alicui corpori quieſcenti certi gradus motus ſimul imprimantur, quæ requiritur, ut rurſus eidem corpori certi iſti gradus motus ſimul adimantur, adeoque planè quieſcat. Quin etiam experientiâ probatur; nam ferè æquali vi utimur, ad navigium in aquâ ſtagnante quieſcens impellendum, quàm ad idem, cum movetur, ſubitò retinendum; & certè planè eadem eſſet, niſi ab aquæ ab eo ſublevatæ gravitate, & lentore in retinendo adjuvaremur.*

3°. *Quod ait, tranſlationem fieri ex vicinià corporum contiguorum in viciniam aliorum; Non verò ex uno loco in alium. Nam locus (ut ipſe explicuit Art. 13. Part. 2.) non eſt aliquid in re, ſed tantùm pendet à noſtra cogitatione, adeò ut idem corpus poſsit dici locum ſimul mutare & non mutare: non verò è viciniâ corporis contigui ſimul transferri & non transferri: una enim tantùm corpora eodem temporis momento eidem mobili contigua eſſe poſſunt.*

4°. *Quod non ait abſolutè tranſlationem fieri ex viciniâ corporum contiguorum, ſed eorum dumtaxat, quæ tanquam quieſcentia ſpectantur: nam ut tranſferatur corpus A à corpore B quieſcente, eadem vis & actio requiritur ex una parte, quæ ex altera; quod clarè apparet exemplo ſcaphæ, luto ſive arenæ, quæ in fundo aquæ ſunt, adhærentis; hæc enim ut propellatur, æqualis neceſſariò vis tam fundo, quam ſcaphæ impingenda erit. Quapropter vis, quâ corpora moveri debent, æquè corpori moti, atque quieſcenti, impenditur. Tranſlatio verò eſt reciproca; nam ſi ſcapha ſeparetur ab arenâ, arena*

etiam

etiam à ſcapha ſeparatur. Si itaque abſolutè corporum, quæ à ſe invicem ſeparantur, uni in unam, alteri in alteram partem, æquales motus tribuere, & unum non tanquam quieſcens ſpectare vellemus, idque ob id ſolum, quod eadem actio ſit in uno, quæ in altero; tum etiam corporibus, quæ ab omnibus tanquam quieſcentia ſpectantur, e.g. arenæ, à qua ſcapha ſeparatur, tantundem motus tribuere cogeremur, quantum corporibus motis; nam, uti oſtendimus, eadem actio requiritur ex una, quæ ex altera parte, & tranſlatio eſt reciproca: ſed hoc à communi loquendi uſu nimium abhorreret. Verùm quamvis ea corpora, à quibus ſeparantur alia, tanquam quieſcentia ſpectentur, ac etiam talia vocentur; tamen recordabimur, quòd id omne, quod in corpore moto eſt, propter quod moveri dicitur, etiam ſit in corpore quieſcente.

5°. *Denique ex def. etiam clarè apparet, quod unumquodque corpus habeat unum duntaxat motum ſibi proprium, quoniam ab unis tantum corporibus ſibi contiguis, & quieſcentibus recedere intelligitur: Attamen, ſi corpus motum ſit pars aliorum corporum, alios motus habentium, clarè intelligimus, ipſum etiam participare poſſe ex aliis innumeris; ſed quia non facilè tam multi ſimul intelligi, nec etiam omnes agnoſci poſſunt, ſufficiet unicum illum, qui cuique corpori eſt proprius, in ipſo conſiderare. Lege Art.* 31. *Part.* 2. *Princip.*

IX. Per *Circulum corporum motorum* tantùm intelligimus, cum ultimum corpus, quod propter impulſum alterius movetur, primum motorum immediatè tangit: quamvis linea, quæ ab omnibus corporibus ſimul per impulſum unius motus deſcribitur, ſit valdè contorta.



AXIOMATA.

I. NIhili nullæ ſunt proprietates.

II. Quidquid ab aliquâ re tolli poteſt, eâ integrâ remanente, ipſius eſſentiam non conſtituit: id autem, quod, ſi auferatur, rem tollit, cjus eſſentiam conſtituit.

III. In duritie nihil aliud ſenſus nobis indicat, nec aliud de ipſâ clarè & diſtinctè intelligimus, quàm quod partes durorum corporum motui manuum noſtrarum reſiſtunt.

IV. Si duo corpora ad invicem accedant, vel ab invicem recedant, non ideò majus aut minus ſpatium occupabunt.

V. Pars materiæ, ſive cedat, ſive reſiſtat, non ideò naturam corporis amittit.

VI. Motus, quies, figura, & ſimilia non poſſunt concipi ſine extenſione.

VII. Ultra ſenſiles qualitates nihil remanet in corpore præter extenſionem & ejus affectiones, in Part. 1. Principior. memoratæ.

VIII. Unum ſpatium, ſive extenſio aliqua non poteſt eſſe unâ vice major, quàm aliâ.

IX. Omnis extenſio dividi poteſt, ſaltem cogitatione. *De veritate hujus axiomatis nemo, qui elementa Matheſeos tantùm didicit, dubitat. Spatium enim datum inter tangentem & Circulum infinitis aliis circulis majoribus dividi ſemper poteſt. Quod idem etiam ex Hyperbolæ Aſymptotis patet.*

X. Nemo fines alicujus extenſionis ſive ſpatii concipere poteſt, niſi ſimul ultra ipſos alia ſpatia, hoc immediatè ſequentia, concipiat.

XI. Si materia ſit multiplex, neque una aliam immediatè tangit, unaquæque neceſſariò ſub finibus, ultrà quos non datur materia, comprehenditur.

XII. Minutiſſima corpora facilè motui manuum noſtrarum cedunt.

XIII. Unum ſpatium aliud ſpatium non penetrat, nec unâ vice majus eſt, quàm aliâ.

XIV. Si canalis A ſit ejuſdem longitudinis, ac C; at C duplo latior, quam A: Et aliqua materia fluida duplo celerius tranſeat per canalem A, quàm quę tranſit per canalem C; tantundem materiæ eodem

dem temporis ſpatio per canalem A tranſibit, quantum per C; & ſi per canalem A tantundem tranſeat, atque per C, illa duplò celeriùs movebitur.

XV. Quæ uni tertio conveniunt, inter ſe conveniunt. Et quæ ejuſdem tertii dupla ſunt, inter ſe ſunt æqualia.

XVI. Materia, quæ diverſimode movetur, tot ad minimum habet partes actu diviſas, quot varii celeritatis gradus ſimul in ipſa obſervantur.

XVII. Linea, inter duo puncta breviſſima, eſt recta.

XVIII. Corpus A à C verſus B motum, ſi à B verſus C repellatur, per eandem verſus C movebitur lineam.



XIX. Corpora, quæ contrarios habent motus, cum ſibi mutuo occurrunt, ambo aliquam variationem pati coguntur, vel ad minimùm alterutrum.

XX. Variatio in aliqua re procedit à vi fortiori.

XXI. Si, cum corpus 1 movetur verſus corpus 2, idque impellit, & corpus 8 ex hoc impulſu verſus 1 moveatur, corpora 1,2,3.&c. non poſſunt eſſe in rectâ lineâ: ſed omnia juſque ad 8 integrum circulum componunt; Vid. Defin. 9.



LEMMA I.

Ubi datur Extenſio ſive Spatium, ibi datur neceſſariò Subſtantia.

DEMONSTRATIO.

EXtenſio ſive ſpatium (per ax. 1.) non poteſt eſſe purum nihil; eſt ergo attributum, quod neceſſariò alicui rei tribui debet. Non Deo (per propoſ. 16. part. 1.); ergo rei, quæ indiget ſolo concurſu Dei ad exiſtendum (per propoſ. 12. part. 1.), hoc eſt (per def. 2. hujus), ſubſtantiæ. q. e. d.

LEMMA II.

Rarefactio & Condensatio clarè & distinctè à nobis concipiuntur; quamvis non concedamus, corpora in rarefactione majus spatium occupare, quàm in condensatione.

DEMONSTRATIO.

POssunt enim clarè & distinctè concipi per id solum, quòd partes alicujus corporis ab invicem recedant, vel ad invicem accedant; Ergo (per Ax. 4.) non majus, neque minus spatium occupabunt: nam si partes alicujus corporis, putà spongiæ, ex eo, quòd ad invicem accedant, corpora, quibus ipsius intervalla replentur, expellant, per hoc solum istud corpus densius reddetur, nec ideò minus spatium, quàm anteà ejus partes occupabunt (per Ax. 4.). Et si iterum ab invicem recedant, & meatus ab aliis corporibus repleantur, fiet rarefactio, nec tamen majus spatium occupabunt. Et hoc, quòd ope sensuum clarè percipimus in spongiâ, possumus solo intellectu concipere de omnibus corporibus, quamvis eorum intervalla humanum sensum planè effugiant. Quare Rarefactio, & Condensatio clarè & distinctè à nobis concipiuntur, &c. q. e. d.

Visum fuit hæc præmittere, ut intellectus præjudicia de Spatio, Rarefactione &c. exueret, & aptus redderetur ad ea, quæ sequentur, intelligenda.

PROPOSITIO I.

Quamvis duritiei, pondus & reliquæ sensiles qualitates à corpore aliquo separentur, integra remanebit nihilominus natura corporis.

DEMONSTRATIO.

IN duritie, putà hujus lapidis, nihil aliud sensus nobis indicat, nec aliud de ipsâ clarè & distincte intelligimus, quàm quòd

quòd partes durorum corporum motui manuum noſtrarum reſiſtant (per Ax.3.): Quare (per propoſ.14. part.1.) duricies etiam nihil aliud erit. Si verò iſtud corpus in pulviſculos quàm minutiſſimos redigatur, ejus partes facilè recedent (per Ax. 12.), nec tamen corporis naturam amittet (per Ax. 5.) q. e. d.

In pondere, cæteriſque ſenſilibus qualitatibus eodem modo procedit demonſtratio.

PROPOSITIO II.

Corporis ſive Materiæ natura in ſola extenſione conſiſtit.

DEMONSTRATIO.

NAtura corporis non tollitur ex ſublatione ſenſilium qualitatum (per propoſ.1. hujus); ergo neque conſtituunt ipſius eſſentiam (per Ax.2.): Nihil ergo remanet præter extenſionem, & ejus affectiones (per Ax.7.). Quare, ſi tollatur extenſio, nihil remanebit, quod ad naturam corporis pertineat, ſed prorſus tolletur; ergo (per Ax.2.) in ſolâ extenſione Corporis naturâ conſiſtit. q. e. d.

COROLLARIUM.

Spatium & Corpus in re non differunt.

DEMONSTRATIO.

COrpus & extenſio in re non differunt (per præced.), ſpatium etiam & extenſio in re non differunt (per defin.6.); ergo (per axiom. 15.) ſpatium & corpus in re non differunt. q. e. d.

SCHO-

SCHOLIUM.

Vide de his fusius in Append. part. 2. c. 3. & 9.

QUamvis dicamus, Deum esse ubique, non ideò concedi-tur Deum esse extensum, hoc est (per præc.), corporeum; nam esse ubique refertur ad solam potentiam Dei & ejus concursum, quo res omnes conservat: Adeò ut Dei ubiquitas referatur non magis ad extensionem sive corpus, quàm ad angelos, & animas humanas. Sed notandum, quòd, cum dicimus ipsius potentiam esse ubique, non secludamus ipsius essentiam; nam, ubi ipsius potentia, ibi etiam est ipsius essentia: Sed solùm, ut corporeitatem secludamus, hoc est, Deum non aliquâ potentiâ corporeâ esse ubique, sed potentiâ sive essentiâ divinâ, quæ communis est ad conservandum extensionem, & res cogitantes, quas profecto conservare non potuisset, si ipsius potentia, hoc est, essentia corporea esset.

PROPOSITIO III.

Repugnat, ut detur vacuum.

DEMONSTRATIO.

PEr vacuum intelligitur extensio sine substantia corporea (per def. 5.), hoc est (per propos. 2. hujus), corpus sine corpore, quod est absurdum.

Ad uberiorem autem explicationem, & ad præjudicium de vacuo emendandum, legantur Art. 17. & 18. Part. 2. Princ. ubi præcipuè notetur, quod corpora, inter quæ nihil interjacet, necessario se mutuo tangant, & etiam, quod nihili nullæ sint proprietates.

PRO-

PROPOSITIO IV.

Una pars corporis non majus ſpatium occupat unâ vice, quàm aliâ, & contrà idem ſpatium unâ vice non plus corporis continet, quàm aliâ.

DEMONSTRATIO.

SPatium & corpus in re non differunt (per Corol. prop. 2. hujus). Ergo cum dicimus, ſpatium unâ vice non majus eſt, quàm alia; (per Ax. 13.) ſimul dicimus, corpus non poſſe majus eſſe, hoc eſt, majus ſpatium occupare una vice, quam aliâ, quod erat primum. Porrò ex hoc, quòd ſpatium & corpus in re non differunt; ſequitur, cum dicimus, corpus non poſſe majus ſpatium occupare unâ vice, quàm alia, nos ſimul dicere, idem ſpatium non plus corporis poſſe continere una vice, quam alia, q. e. d.

COROLLARIUM.

Corpora, quæ æquale ſpatium occupant, putà aurum & aër, æque multum materiæ, ſive ſubſtantiæ corporeæ habent.

DEMONSTRATIO.

SUbſtantia corporea non in duritie e. g. auri, neque in mollitie e. g. aëris, neque in ulla ſenſilium qualitatum (per propoſ. 1. hujus): ſed in ſola extenſione conſiſtit (per propoſ. 2. hujus). Cum autem (ex Hyp.) tantundem ſpatii, ſive (per def. 6.) extenſionis ſit in uno, quàm in alio; ergo etiam tantundem ſubſtantiæ corporeæ, q. e. d.

PROPOSITIO V.

Nullæ dantur Atomi.

DEMONSTRATIO.

ATomi ſunt partes materiæ indiviſibiles ex ſua natura (per def. 3.): ſed cùm natura materiæ conſiſtat in extenſione (per prop. 2. hujus), quæ natura ſua, quantumvis parva, eſt diviſibilis (per *Ax.* 9. & def. 7.); ergo pars materiæ, quantumvis parva, natura ſua eſt diviſibilis, h. e. nullæ dantur Atomi, ſive partes materiæ natura ſua indiviſibiles, q. e. d.

SCHOLIUM.

MAgna & intricata quæſtio de Atomis ſemper fuit. Quidam aſſerunt dari Atomos, ex eo, quòd infinitum non poteſt eſſe majus alio infinito; & ſi duç quantitates, putà *A* & dupla ipſius *A*, ſint diviſibiles in infinitum, poterunt etiam potentiâ Dei, qui eorum infinitas partes uno intuitu intelligit, in infinitas partes actu dividi. Ergo, cùm, ut dictum eſt, unum infinitum non majus ſit alio infinito, erit quantitas *A* æqualis ſuo duplo, quod eſt abſurdum. Deinde etiam quærunt, an dimidia pars numeri infiniti ſit etiam infinita; & an par ſit an impar, & alia ejuſmodi. Ad quæ omnia Carteſius reſpondit, nos non debere ea, quæ ſub noſtrum intellectum cadunt, ac proinde clarè & diſtinctè concipiuntur, rejicere propter alia, quæ noſtrum intellectum aut captum excedunt; ac proinde non, niſi admodum inadæquatè, à nobis percipiuntur. Infinitum verò & ejus proprietates humanum intellectum, natura ſcilicet finitum, excedunt; adeoque ineptum foret id, quod clarè & diſtinctè de ſpatio concipimus, tanquam falſum rejicere, ſive de eo dubitare, propterea

terea quòd non comprehendamus infinitum. Et hanc ob causam Carteſius ea, in quibus nullos fines advertimus, qualia ſunt extenſio mundi, diviſibilitas partium materiæ &c. pro indefinitis habet. Lege Art. 26. part. 1. Princip.

PROPOSITIO VI.

Materia eſt indefinitè extenſa, materiaque cœli, & terræ una eademque eſt.

DEMONSTRATIO.

1. *Partis.* Extenſionis, id eſt (per prop. 2. hujus) materiæ nullos fines imaginari poſſumus, niſi ultrà ipſos alia ſpatia (per ax. 10.) id eſt (per def. 6.) extenſionem ſive materiam concipiamus, & hoc indefinitè. Quod erat primum.

2. *Partis.* Eſſentia materiæ conſiſtit in extenſione (per propoſ. 2. hujus), eaque indefinita (per 1. partem), hoc eſt (per def. 4.) quæ ſub nullis finibus ab humano intellectu percipi poteſt: ergo (per ax. 11.) non eſt multiplex, ſed ubique una eademque. Quod erat ſecundum.

SCHOLIUM.

HUcuſque de naturâ ſive eſſentiâ extenſionis egimus. Quod autem talis, qualem illam concipimus, à Deo creata exiſtat, propoſitione ultimâ Primæ Partis demonſtravimus; & ex propoſit. 12. primæ Partis ſequitur, nunc eandem eadem, quâ creatâ eſt potentia, conſervari. Deinde etiam eadem ultima propoſ. prim. Part. demonſtravimus nos, quatenus res cogitantes, unitos eſſe parti alicui iſtius materiæ, cujus ope percipimus, dari actu omnes illas variationes, quarum, ex ſola materiæ contemplatione, eam ſcimus eſſe capacem, uti ſunt diviſibilitas, motus localis, ſive migratio

unius partis ex uno loco in alium, quam clarè & distinctè percipimus, modò intelligamus, alias partes materiæ in locum migrantium succedere. Atque hæc divisio & motus infinitis modis à nobis concipiuntur, ac proinde infinitæ etiam materiæ variationes concipi possunt. Dico, eas clarè distinctèque à nobis concipi, quamdiu nempe ipsas, tanquam extensionis modos; non autem tanquam res ab extensione realiter distinctas concipimus, ut fusè est explicatum Princip. Part. 1. Et quamvis Philosophi alios quamplures motus finxerunt, nobis tamen nihil, nisi quod clarè & distinctè concipimus, admittentibus, quia nullius motus, præter localem, extensionem esse capacem, clarè & distinctè intelligimus; nec etiam ullus alius sub nostram imaginationem cadit; nullus etiam præter localem erit admittendus.

Verùm Zeno, ut fertur, negavit motum localem, idque ob varias rationes, quas Diogenes Cynicus suo more refutavit, deambulando scilicet per Scholam, in qua hæc à Zenone docebantur: auditoresque illius sua deambulatione perturbando. Ubi autem sensit, se à quodam auditore detineri, ut ejus ambulationem impediret, ipsum increpuit, dicens, cur sic ausus es tui magistri rationes refutare. Sed ne fortè quis per rationes Zenonis deceptus, putet sensus aliquid, motum scilicet, nobis ostendere, quod planè intellectui repugnet, adeo ut mens etiam circa ea, quæ ope intellectus clarè & distinctè percipit, deciperetur; præcipuas ipsius rationes hic adferam, simulque ostendam, eas non nisi falsis niti præjudiciis: nimirum, quia verum materiæ conceptum nullum habuit.

Primo itaque ajunt, ipsum dixisse; quòd, si daretur motus localis, motus corporis circulariter summa celeritate moti non differret à quiete: Atqui hoc absurdum, ergo & illud. Probat consequens. Illud corpus quiescit, cujus omnia puncta assiduè manent in eodem loco: atqui omnia puncta corporis circulariter summa celeritate moti assidue manent in eodem loco; Ergo &c. Atque hoc ipsum dicunt explicasse exemplo

emplo rotę, putà A B C, quæ ſi quadam celeritate circa centrum ſuum moveatur, punctum A citius per B & C abſolvet circulum, quàm ſi tardiùs moveretur. Ponatur igitur e. g. cum tardè incipit moveri poſt lapſam horam eſſe in eodem loco, à quo incepit. Quod ſi vero duplo celerius moveri ponatur, erit in loco, à quo incepit moveri, poſt lapſam dimidiam horam, & ſi quadruplo celerius poſt lapſum quadrantem, & ſi concipiamus hanc celeritatem in infinitum augeri, & tempus diminui uſque in momenta: tum punctum A in ſumma illa celeritate omnibus momentis, ſive aſſiduè erit in loco, à quo incipit moveri, atque adeo in eodem ſemper manet loco; & id, quod de puncto A intelligimus, intelligendum etiam eſt de omnibus punctis hujus rotæ; quocirca omnia puncta in ſumma illa celeritate aſſiduè manent in eodem loco.



Verùm, ut reſpondeam, venit notandum hoc argumentum magis eſſe contra ſummam motus celeritatem, quàm contra motum ipſum: attamen an rectè argumentetur Zeno, hic non examinabimus, ſed potius ipſius præjudicia, quibus tota hæc argumentatio, quatenus ea motum impugnare putat, nititur, detegemus. Primò igitur ſupponit corpora adeo celeriter poſſe concipi moveri, ut celerius moveri nequeant. Secundò tempus componi ex momentis, ſicut alii componi quantitatem ex punctis indiviſibilibus conceperunt. Quod utrumque falſum: Nam nunquam motum adeo celerem concipere poſſumus, quo ſimul celeriorem non concipiamus. Repugnat enim noſtro intellectui, motum, quantumvis parvam lineam deſcribentem, adeò celerem concipere, ut celerior non dari poſſit. Atque idem etiam locum habet in tarditate: Nam implicat concipere motum adeo tardum, ut tardior non dari poſſit. De tempore etiam, quod motus menſura eſt, idem aſſerimus, videlicet, quòd clarè repugnat noſtro intel-

lectui concipere tempus, quo brevius non dari poſſit. Quæ omnia ut probemus, veſtigia Zenonis ſequamur. Ponamus



igitur, ut ipſe, Rotam A B C circa centrum tali celeritate moveri, ut punctum A omnibus momentis ſit in loco A, à quo movetur. Dico me clarè concipere celeritatem hac indefinitè celeriorem, & conſequenter momenta in infinitum minora. Nam ponatur, dum rota A B C circa centrum movetur, facere ope chordæ A, ut etiam alia rota D E F (quam ipſa duplo minorem pono) circa centrum moveatur. Cùm autem rota D E F duplo minor ſupponatur rotâ A B C; perſpicuum eſt, rotam D E F duplo celerius moveri rotâ A B C; & per conſequens punctum D ſingulis dimidiis momentis eſſe iterum in eodem loco, à quo incepit moveri. Deinde ſi rotę A B C tribuamus motum rotæ D E F, tum D E F quadruplo celerius movebitur, quam antea; & ſi iterum hanc ultimam celeritatem rotæ D E F tribuamus rotæ A B C, tum D E F octuplo celerius movebitur, & ſic in infinitum. Verùm ex ſolo materiæ conceptu hoc clariſſimè apparet. Nam materiæ eſſentia conſiſtit in extenſione, ſive ſpatio ſemper diviſibili, ut probavimus; ac motus ſine ſpatio non datur. Demonſtravimus etiam, quod una pars materiæ non poteſt ſimul duo ſpatia occupare; idem enim eſſet, ac ſi diceremus, unam partem materiæ æqualem eſſe ſuo duplo, ut ex ſupra demonſtratis patet: ergo ſi pars materiæ movetur, per ſpatium âliquod movetur, quod ſpatium, quantumvis parvum fingatur eſſe, & per conſequens etiam tempus, per quod ille motus menſuratur, erit tamen diviſibile, & per conſequens duratio iſtius motus ſive tempus diviſibile erit, & hoc in infinitum, q. e. d.

Pergamus jam ad aliud, quod ab ipſo allatum dicitur ſophiſ-

ſophiſma, nempe hujusmodi. Si corpus movetur, aut movetur in loco, in quo eſt, aut in quo non eſt. At non, in quo eſt: nam, ſi alicubi eſt, neceſſario quieſcit. Nequè etiam, in quo non eſt: Ergo corpus non movetur. Sed hæc argumentatio eſt planè ſimilis priori; ſupponit enim etiam dari tempus, quò minus non detur: nam ſi ei reſpondeamus, corpus moveri non in loco; ſed à loco, in quo eſt, ad locum, in quo non eſt; rogabit, an in locis intermediis non fuit. Si reſpondeamus diſtinguendo, ſi per *fuit* intelligitur, *quievit*, nos negare alicubi fuiſſe, quamdiu movebatur: ſed ſi per *fuit* intelligitur, *exſtitit*, nos dicere, quòd, quamdiu movebatur, neceſſario exiſtebat: Iterum rogabit, ubinam exſtiterit, quamdiu movebatur. Si denuo reſpondeamus, ſi per illud *ubinam exſtiterit*, rogare velit, *quem locum ſervaverit*, quamdiu movebatur, nos dicere nullum ſervaſſe: ſi verò *quem locum mutaverit*, nos dicere omnia, quæ aſſignare velit loca illius ſpatii, per quod movebatur, mutaſſe: perget rogare, an eodem temporis momento locum occupare & mutare potuit. Ad quod denique reſpondemus, diſtinguendo ſcilicet, ipſum, ſi per temporis momentum, intelligat tale tempus, quo minus dari non poſſit, rem non intelligibilem, ut ſatis oſtenſum eſt, rogare; ideoque reſponſione indignam: ſi verò tempus eo ſenſu, quo ſupra explicui, ſumit, id eſt, ſuo vero ſenſu, numquam tam parvum tempus poſſe aſſignare, quo quamvis etiam vel indefinitè brevius ponatur, non poſſet corpus locum occupare & mutare, quòd ſatis attendenti eſt manifeſtum. Unde clarè patet, quod ſupra dicebamus, ipſum ſupponere tempus tam parvum, quo minus dari non poſſit, ac proinde etiam nihil probare.

Præter hæc duo aliud adhuc Zenonis circumfertur argumentum, quòd ſimul cum ejus refutatione legi poteſt, apud Carteſ. Epiſtol. penultim. volum. prim.

Velim autem hic Lectores meos animadvertere, me rationibus Zenonis meas oppoſuiſſe rationes, adeoque ipſum ratione redar-

redarguiſſe; non autem ſenſibus, quemadmodum Diogenes fecit. Neque enim ſenſus aliud quid veritatis inquiſitori ſuggerere poſſunt, quam Naturæ Phænomena, quibus determinatur ad illorum cauſas inveſtigandas: non autem unquam quid, quod intellectus clarè & diſtinctè verum eſſe deprehendit, falſum eſſe, oſtendere. Sic enim nos judicamus, adeoque hæc noſtra eſt Methodus; res, quas proponimus, rationibus clarè & diſtinctè ab intellectu perceptis, demonſtrare; inſuper habentes, quidquid, quod iis contrarium videtur, ſenſus dicent; qui, ut diximus, intellectum ſolummodo determinare queunt, ut hoc potius, quam illud inquirat; non autem falſitatis, cum quid clarè & diſtinctè percepit, arguere.

PROPOSITIO VII.

Nullum corpus locum alterius ingreditur, niſi ſimul illud alterum locum alicujus alterius corporis ingrediatur.

DEMONSTRATIO.

Vide Fig. Prop. ſeq. SI negas, ponatur, ſi fieri poteſt, corpus A ingredi locum corporis B, quod ſuppono ipſi A æquale, & à ſuo loco non recedere: ergo ſpatium, quod tantum continebat B, jam (per hypotheſ.) continet A & B: adeoque duplum ſubſtantiæ corporeæ, quam antea continebat, quod (per prop. 4. hujus) eſt abſurdum: Ergo nullum corpus locum alterius ingreditur, &c. q. e. d.

PROPOSITIO VIII.

Cum corpus aliquod locum alterius ingreditur, eodem temporis momento locus ab eo derelictus ab alio corpore occupatur, quod ipſum immediatè tangit.

DE-

DEMONSTRATIO.

SI corpus B movetur versus D, corpora A & C eodem temporis momento ad se invicem accedent, ac se invicem tangent, vel non. Si ad se invicem accedant & tangant, conceditur intentum. Si verò non ad se invicem accedant, sed totum spatium à B derelictum, inter A & C interjaceat, ergo corpus æquale ipsi B (per corol. propos. 2. hujus, & corol. prop. 4. hujus) interjacet. At non (per hypothes.) idem B: ergo aliud, quod eodem temporis momento ipsius locum ingreditur; & cum eodem temporis momento ingrediatur, nullum aliud potest esse, quam quod immediatè tangit, per Schol. prop. 6. hujus; ibi enim demonstravimus, nullum dari motum ex uno loco in alium, qui tempus, quo brevius semper datur, non requirat: Ex quo sequitur, spatium corporis B eodem temporis momento ab alio corpore non posse occupari, quod per spatium aliquod moveri deberet, antequam ejus locum ingrederetur. Ergo tantùm corpus, quod B immediatè tangit, eodem temporis momento illius locum ingreditur, q. e. d.



SCHOLIUM.

QUoniam partes materiæ realiter ab invicem distinguuntur, (per Art. 61, Part. 1. Princip.) una absque aliâ esse potest (per corol. propos. 7. part. 1.); nec ab invicem dependent: Quare omnia illa figmenta de Sympathiâ & Antipathiâ, ut falsa, sunt rejicienda. Porro cum causa alicujus effectus semper positiva debeat esse (per Axiom. 8. part. 1.), nunquam dicendum erit, quod corpus aliquod movetur, ne detur vacuum: sed tantum ex alterius impulsu.

COROLLARIUM.

In omni motu integer Circulus corporum simul movetur.

DEMONSTRATIO.

EO tempore, quo corpus 1 ingreditur locum corporis 2, hoc corpus 2, in alterius locum, puta 3, debet ingredi,



& sic porro (per propos. 7. hujus): Deinde eodem temporis momento, quo corpus 1, locum corporis 2 ingrediebatur, locus, à corpore 1 derelictus, ab alio occupari debet (per prop. 8. hujus) puta 8, aut aliud, quod ipsum 1 immediatè tangit; quod cum fiat ex solo impulsu alterius corporis, (per Scholium præced.) quod hic supponitur esse 1; non possunt omnia hæc corpora mota in eadem rectâ lineâ esse (per Axiom. 21.): sed (per definit. 9.) integrum circulum describunt, q. e. d.

PROPOSITIO IX.

Si canalis A B C circularis sit aqua plenus, & in A sit quadruplo latior, quam in B, eo tempore, quo illa aqua (vel aliud corpus fluidum) quæ est in A versus B incipit moveri, aqua, quæ est in B quadruplo celerius movebitur.

DEMONSTRATIO.



Cum tota aqua, quæ est in A movetur versus B, debet simul tantundem aquæ ex C, quæ A immediatè tangit, ejus locum ingredi (per propos. 8. hujus): & ex B tantundem aquæ locum C debebit ingredi (per eandem): ergo (per Ax. 14.) quadruplo celerius movebitur, q. e. d.

Id, quod de circulari canali dicimus,

cimus, etiam eſt intelligendum de omnibus inæqualibus ſpatiis, per quæ corpora, quæ ſimul moventur, coguntur tranſire; demonſtratio enim in cæteris eadem erit.

LEMMA.

Si duo Semicirculi ex eodem centro deſcribantur, ut A & B: ſpatium inter peripherias erit ubique æquale: Si verò ex diverſis centris deſcribantur, ut C & D, ſpatium inter peripherias erit ubique inæquale.

Demonſtratio patet ex ſolâ definitione circuli.

PROPOSITIO X.

Corpus fluidum, quod per Canalem A B C movetur, accipit indefinitos gradus celeritatis. *Vide Fig. Propoſ. præced.*

DEMONSTRATIO.

SPatium inter A & B eſt ubique inæquale (per lemm. præc.); ergo (per propoſ. 9. hujus) celeritas, quâ corpus fluidum per canalem A B C movetur, erit ubique inæqualis. Porro, cum inter A & B indefinita ſpatia ſemper minora atque minora cogitatione concipiamus (per prop. 5. hujus:) etiam ipſius inæqualitates, quæ ubique ſunt, indefinitas concipiemus, ac proinde (per propoſ. 9. hujus) celeritatis gradus erunt indefiniti, q. e. d.

PROPOSITIO XI.

In materia, quæ per canalem A B C fluit, datur diviſio in particulas indefinitas. *Vide Fig. Propoſ. 9.*

DEMONSTRATIO.

MAteria, quæ per canalem ABC fluit, acquirit ſimul indefinitos gradus celeritatis (per prop. 10. hujus), ergo (per ax. 16.) habet indefinitas partes reverâ diviſas, q. e. d. Lege Art. 34. & 35. Part. 2. Princip.

SCHOLIUM.

HUcuſque egimus de natura motus; oportet jam, ut ejus cauſam inquiramus, quæ duplex eſt, primaria ſcilicet ſive generalis, quæ cauſa eſt omnium motuum, qui ſunt in mundo; & particularis, à qua fit, ut ſingulæ materiæ partes motus, quos prius non habuerunt, acquirant. Ad generalem quod attinet, cum nihil ſit admittendum (per propoſ. 14. part. 1. & Schol. prop. 17. ejuſd. part.), niſi quod clarè & diſtinctè percipimus, nullamque aliam cauſam præter Deum (materiæ ſcilicet creatorem) clarè & diſtinctè intelligamus, manifeſtè apparet, nullam aliam cauſam generalem præter Deum eſſe admittendam. Quod autem hic de motu dicimus, etiam de quiete intelligendum venit.

PROPOSITIO XII.

Deus eſt cauſa principalis motus.

DEMONSTRATIO.

Inſpiciatur Scholium proxime præcedens.

PROPOSITIO XIII.

Eandem quantitatem motus & quietis, quam Deus ſemel materiæ impreſſit, etiamnum ſuo concurſu conſervat.

DE-

DEMONSTRATIO.

CUm Deus ſit cauſa motus & quietis (per propoſ. 12. hujus): etiamnum eâdem potentia, quâ eos creavit, conſervat (per ax. 10. part. 1.); & quidem eâdem illâ quantitate, quâ eos primo creavit, (per corollar. prop. 20. part. 1.) q. e. d.

SCHOLIUM.

I. QUamvis in Theologiâ dicatur, Deum multa agere ex beneplacito, & ut potentiam ſuam hominibus oſtendat; tamen cum ea, quæ à ſolo ejus beneplacito pendent, non niſi divinâ revelatione innoteſcant, iſta in Philoſophiâ, ubi tantùm in id, quod ratio dictat inquiritur, non erunt admittenda, ne Philoſophia cum Theologiâ confundatur.

II. Quamvis motus nihil aliud ſit in materiâ motâ, quàm ejus modus, certam tamen & determinatam habet quantitatem, quæ quomodo intelligenda veniat, patebit ex ſequentibus. Lege Art. 36. Part. 2. Princ.

PROPOSITIO XIV.

Unaquaque res, quatenus ſimplex & indiviſa eſt, & in ſe ſolâ conſideratur, quantùm in ſe eſt, ſemper in eodem ſtatu perſeverat.

Propoſitio hæc multis tanquam axioma eſt, eam tamen demonſtrabimus.

DEMONSTRATIO.

CUm nihil ſit in aliquo ſtatu, niſi ex ſolo Dei concurſu (per prop. 12. part. 1.); & Deus in ſuis operibus ſit ſummè conſtans (per corol. propoſ. 20. part. 1.): ſi ad nullas cauſas externas, particulares ſcilicet attendamus, ſed rem in ſe ſola conſideremus, affirmandum erit, quod illa, quantum in ſe eſt, in ſtatu ſuo, in quo eſt, ſemper perſeverat, q. e. d.

COROLLARIUM.

Corpus, quod ſemel movetur, ſemper moveri pergit, niſi à cauſis externis retardetur.

DEMONSTRATIO.

Patet hoc ex prop. præc: attamen ad præjudicium de motu emendandum. Lege Art. 37. & 38. Part. 2. Princip.

PROPOSITIO XV.

Omne corpus motum ex ſe ipſo tendit, ut ſecundum lineam rectam, non vero curvam pergat moveri.

Hanc propoſitionem, inter axiomata numerare liceret, eam tamen ex præcedentibus ſic demonſtrabo.

DEMONSTRATIO.

MOtus, quia Deum tantum (per propoſ. 12. hujus) pro cauſa habet, nullam unquam ex ſe vim habet ad exiſtendum (per axiom. 10. part. 1.): ſed omnibus momentis à Deo quaſi procreatur (per illa quæ demonſtrantur, circa axioma jam citatum). Quapropter, quamdiu ad ſolam motus naturam attendimus, nunquam ipſi durationem tribuere poterimus, tanquam ad ejus naturam pertinentem, quæ major alia poteſt concipi. At ſi dicatur, ad naturam alicujus corporis moti pertinere, ut lineam curvam aliquam ſuo motu deſcribat, magis diuturnam durationem motus naturæ tribueretur, quam ubi ſupponitur, de corporis moti natura eſſe, tendere ut moveri pergat ſecundum lineam rectam (per ax. 17.). Cum autem (ut jam demonſtravimus) talem durationem motus naturæ tribuere non poſſumus; ergo neque etiam ponere, quod de corporis moti naturâ ſit, ut ſecundum ullam lineam curvam, ſed tantum ut ſecundum rectam moveari pergat, q. e. d.

SCHO-

SCHOLIUM.

HÆc Demonſtratio videbitur forſan multis non magis oſtendere, ad naturam motus non pertinere, ut lineam curvam, quàm ut lineam rectam deſcribat: Idque propterea quod nulla poſſit aſſignari recta, quà minor ſive recta ſive curva non detur: neque ulla curva, qua etiam alia curva minor non detur. Attamen, quamvis hæc conſiderem, demonſtrationem nihilominus recte procedere judico: quandoquidem ipſa ex ſola univerſali eſſentia, ſive eſſentiali differentia linearum; non vero ex uniuſcujuſque quantitate, ſive accidentali differentia, id, quod demonſtrandum proponebatur, concludit. Verùm ne rem per ſe ſatis claram demonſtrando obſcuriorem reddam, Lectores ad ſolam motus definitionem remitto, quæ nihil aliud de motu affirmat, quam tranſlationem unius partis materiæ ex vicinia &c. in viciniam aliorum, &c. Ideoque niſi hanc tranſlationem ſimpliciſſimam concipiamus, hoc eſt, eam ſecundum lineam rectam fieri; motui aliquid affingimus, quod in ejus definitione, ſive eſſentia non continetur: adeoque ad ejus naturam non pertinet.

COROLLARIUM.

Ex propoſitione hac ſequitur omne corpus, quod ſecundum lìneam curvam movetur, continuo à linea, ſecundum quam ex ſe pergeret moveri, deflectere; idque vi alicujus cauſæ externæ (per propoſ. 14. hujus.)

PROPOSITIO XVI.

Omne corpus quod circulariter movetur, ut lapis ex. gr. in fundâ; continuo determinatur, ut ſecundum tangentem pergat moveri.

DE-

DEMONSTRATIO.

COrpus, quod circulariter movetur, continuo à vi externa impeditur, ne ſecundam lineam rectam pergat moveri (per corol. præcedentis): qua ceſſante corpus ex ſe perget ſecundum lineam rectam moveri (per propoſ. 15.). Dico præterea corpus, quod circulariter movetur, à cauſa externa determinari, ut ſecundum tangentem pergat moveri. Nam, ſi negas, ponatur lapis in B à funda ex. g. non ſecundum tangentem BD determinari, ſed ſecundum aliam lineam ab eodem puncto extra, aut intra circulum conceptam, ut BF, quando funda ex parte L verſus B venire ſupponitur, aut ſecundum BG (quam intelligo cum linea BH, quæ à centro ducitur per circumferentiam, eamque in puncto *B* ſecat, angulum conſtituere æqualem angulo FBH), ſi contra ſupponatur funda ex parte C verſus B venire. At, ſi lapis in puncto B ſupponatur à funda, quæ ab L verſus *B* circulariter movetur, determinari, ut verſus F pergat moveri: neceſſario (per ax. 18.) ubi funda contraria determinatione à C verſus B movetur, determinabitur, ut ſecundum eandem lineam B F contraria determinatione pergat moveri, ac proinde verſus K non vero verſus G tendet, quod eſt contra hypotheſin. Et cum nulla linea, quæ per punctum B poteſt duci, præter tangentem ſtatui poſſit, cum linea BH angulos ad eandem partem, ut DBH, & ABH, æquales efficiens: nulla præter tangentem datur, quæ eandem hypotheſin ſervare poteſt, ſive funda ab L verſus *B*, ſive à C verſus B moveatur, ac proinde nulla præter tangentem ſtatuenda eſt, ſecundum quam tendit moveri, q. e. d.



Patet ex prop. 18. & 19. lib. 3. Elem.

ALI-

ALITER.

Concipiatur, loco circuli, Hexagonum ABH circulo inſcriptum, & corpus C in uno latere AB quieſcere: deinde concipiatur regula DBE (cujus unam extremitatem in centro D fixam, alteram vero mobilem ſuppono) circa centrum D moveri, ſecans continuo lineam AB. Patet, quod ſi regula DBE, dum ita concipitur moveri, corpori C occurrat eo tempore, quo lineam AB ad angulos rectos ſecat, ipſa regula corpus C ſuo impulſu determinabit, ut ſecundum lineam FBAG, verſus G pergat moveri, hoc eſt, ſecundum latus AB indefinitè productum. Verum quia Hexagonum ad libitum aſſumſimus, idem erit affirmandum de quàcumque aliâ figurâ, quam huic circulo concipimus poſſe inſcribi: Nempe quod, ubi corpus C, in uno figuræ latere quieſcens, à regula DBE impellitur eo tempore, quo ipſa latus illud ad angulos rectos ſecat; ab illa regula determinabitur, ut ſecundum illud latus indefinitè productum pergat moveri. Concipiamus igitur, loco Hexagoni, figuram rectilineam infinitorum laterum (hoc eſt, circulum ex def. Archimedis): patet regulam DBE, ubicunq; corpori C occurrat, ipſi ſemper occurrere eo tempore, quo aliquod talis figuræ latus ad angulos rectos ſecat, adeoque nunquam ipſi



corpori C occurret, quin ipſum ſimul determinabit, ut ſecundum illud latus indefinitè productum pergat moveri. Cumq; quodlibet latus ad utramvis partem productum, ſemper extra figuram cadere debeat; erit hoc latus indefinitè productum tangens figuræ infinitorum laterum, hoc eſt, circuli. Si itaque loco regulæ concipiamus fundam circulariter motam, hæc lapidem determinabit, ut ſecundum tangentem pergat moveri, q. e. d.

Notandum hic eſt, utramque hanc demonſtrationem poſſe accommodari quibuslibet figuris curvilineis.

PROPOSITIO XVII.

Omne corpus, quod circulariter movetur, conatur recedere à centro circuli, quem deſcribit.

DEMONSTRATIO.

QUamdiu aliquod corpus circulariter movetur, tamdiu cogitur ab aliquâ cauſâ externâ, qua ceſſante ſimul pergit moveri ſecundum lineam tangentem (per præced.), cujus omnia puncta præter id, quod circulum tangit, extra circulum cadunt (per prop. 16. lib. 3. El.) ac proinde longius à centro diſtant: Ergo, cum lapis, qui circulariter movetur in funda E A, eſt in puncto A, conatur pergere ſecundum lineam, cujus omnia puncta longius diſtant à centro E, quàm omnia puncta circumferentiæ L A B, quod nihil aliud eſt, quam recedere conari à centro circuli, quem deſcribit, q. e. d.



PRO-

PROPOSITIO XVIII.

Si corpus aliquod, putà A, versus aliud corpus quiescens B moveatur, nec tamen B propter impetum corporis A aliquid suæ quietis amittat, neque etiam A sui motus aliquid amittet; sed eandem quantitatem motus, quam antea habebat, prorsus retinebit.

DEMONSTRATIO.

SI negas, ponatur corpus A perdere de suo motu, nec tamen id, quod perdidit, in aliud transferre, putà in B; dabitur in natura, cum id contingit, minor quantitas motus, quam antea, quod est absurdum (per prop. 13. hujus). Eodem modo procedit Demonstratio respectu quietis in corpore B, quare, si unum in aliud nihil transferat, B omnem suam quietem, & A omnem suum motum retinebit, q.e.d.

PROPOSITIO XIX.

Motus, in se spectatus, differt à sua determinatione versus certam aliquam partem; neque opus est, corpus motum, ut in contrariam partem feratur sive repellatur, aliquamdiu quiescere.

DEMONSTRATIO.

POnatur, ut in præced. corpus A versus *B* moveri, & à corpore *B* impediri, ne ulterius pergat; ergo (per præced.) *A* suum integrum motum retinebit; nec quantumvis minimum spatium temporis quiescet: attamen, cum pergat moveri, non movetur versus eandem partem, versus quàm priusmovebatur; supponitur enim à *B* impediri, ergo motu suo integro remanente, atque determinatione priore amissâ

verſus contrariam movebitur partem (per illa, quæ cap. 2. Diopt. dicta ſunt); ideoque (per ax. 2.) determinatio ad eſſentiam motus non pertinet, ſed ab ipſa differt, nec corpus motum, cum repellitur, aliquamdiu quieſcit. q.e.d.

COROLLARIUM.

Hinc ſequitur motum non eſſe motui contrarium.

PROPOSITIO XX.

Si corpus A corpori B occurrat, & ipſum ſecum rapiat; tantum motus, quantum B propter occurſum A ab ipſo A acquirit, de ſuo motu A amittet.

DEMONSTRATIO.

SI negas, ponatur B plus aut minus motus ab A acquirere, quam A amittit; tota illa differentia erit addenda vel

ſubtrahenda quantitati motus totius naturæ, quod eſt abſurdum (per propoſ. 13. hujus). Cum ergo neque plus neque minus motus corpus B poſſit acquirere; tantum ergo acquiret, quantum A amittet, q.e.d.

PROPOSITIO XXI.

Vid. Fig. prop. 1 hac. *Si corpus A duplo majus ſit, quam B, & æquè celeriter moveatur; habebit etiam A duplo majorem motum, quam B, ſive vim ad æqualem celeritatem cum B retinendam.*

DEMONSTRATIO.

POnatur e.g. loco A bis B, id eſt (ex hyp.) unum A in duas æquales partes diviſum, utrumque B habet vim ad manendum in ſtatu, in quo eſt (per prop. 14. hujus), eaque vis in utroque (ex hyp.) eſt æqualis: ſi jam hæc duo B jungantur,

tur, ſuam celeritatem retinendo, fiet unum A, cujus vis & quantitas erit æqualis duobus B ſive dupla unius B, q. e. d.

Notæ, hoc ex ſolâ motus definitione etiam ſequi; quo enim corpus, quod movetur, majus eſt, eo plus materiæ datur, quæ ab alia ſeparatur: daturque igitur plus ſeparationis, hoc eſt, (per defin. 8.) plus motus. Vide quæ 4°. notavimus circa motus definitionem.

PROPOSITIO XXII.

Si corpus A æquale ſit corpori B, & A duplo celerius, quàm B moveatur, vis ſive motus in A, erit duplus ipſius B. Vid. fig. propoſ. 10

DEMONSTRATIO.

POnatur B, cum primo certam vim ſe movendi acquiſivit, acquiſiviſſe quatuor gradus celeritatis. Si jam nihil accedat, perget moveri (per propoſ. 14. hujus) & in ſuo ſtatu perſeverare: ſupponatur denuo novam aliam vim acquirere ex novo impulſu priori æqualem, quapropter iterum acquiret ultra quatuor priores, alios quatuor gradus celeritatis, quos etiam (per eand. propoſ.) ſervabit, hoc eſt, duplo celerius, hoc eſt, æque celeriter ac A movebitur, & ſimul duplam habebit vim, hoc eſt, æqualem ipſi A, quare motus in A eſt duplus ipſius B, q. e. d.

Nota, nos hic per vim in corporibus motis, intelligere quantitatem motus, quæ quantitas in æqualibus corporibus pro celeritate motus major eſſe debet, quatenus ea celeritate corpora æqualia, à corporibus immediatè tangentibus magis eodem tempore ſeparantur, quam ſi tardius moverentur: adeoque (per definit. 8.) plus motus etiam habent: In quieſcentibus autem per vim reſiſtendi intelligere quantitatem quietis. Ex quibus ſequitur

COROLLARIUM I.

Quo corpora tardius moventur, eo magis de quiete participant:

corporibus enim celerius motis, quæ ipſis occurrunt, & minorem, quam ipſa, vim habent, magis reſiſtunt, & etiam minus à corporibus immediatè tangentibus ſeparantur.

COROLLARIUM II.

Si corpus A duplo celerius moveatur, quam corpus B & B duplo majus ſit, quam A, tantundem motus eſt in B majori, quam in A minori, ac proinde etiam æqualis vis.

DEMONSTRATIO.

SIt B duplo majus, quam A, & A duplo celerius moveatur, quam B, & porro C duplo minus ſit, quam B, & duplo tardius moveatur, quam A: ergo B (per propoſ. 21. hujus) duplo majorem habebit motum, quam C, & A (per prop. 22. hujus) duplo majorem motum habebit, quam C: ergo (per axiom. 15.) B & A æqualem motum habent, eſt enim utriuſque motus ejuſdem tertii C duplus, q. e. d.

COROLLARIUM III.

EX his ſequitur, *motum à celeritate diſtingui.* Concipimus enim corporum, quæ æqualem habent celeritatem, unum plus motus habere poſſe, quam aliud (per propoſ. 21. hujus): & contra, quæ inæqualem habent celeritatem, æqualem motum habere poſſe (per corol. præced.) Quod idem etiam ex ſolâ motus definitione colligitur: nihil enim aliud eſt, quam tranſlatio unius corporis ex vicinia &c.

Verum hic notandum, Corollarium hoc tertium primo non repugnare: Nam celeritas duobus modis à nobis concipitur, vel quatenus corpus aliquod magis, aut minus eodem tempore à corporibus illud immediatè tangentibus ſeparatur, & catenus motus vel quietis plus vel minus participat, vel quatenus eodem tempore majorem vel minorem lineam deſcribit, & eatenus à motu diſtinguitur.

Potuiſ-

Potuiſſem hic alias propoſitiones adjungere ad uberiorem explicationem Propoſitionis 14 hujus partis, & vires rerum in quocunque ſtatu, ſicut hic circa motum fecimus, explicare: ſed ſufficiet Art. 43. Part. 2. Princip. perlegere, & tantum unam propoſitionem annectere, quæ neceſſaria eſt ad ea, quæ ſequentur intelligenda.

PROPOSITIO XXIII.

Cum modi alicujus corporis variationem pati coguntur, illa variatio ſemper erit minima, quæ dari poteſt.

DEMONSTRATIO.

Satis clarè ſequitur hæc Propoſitio ex propoſ. 14. hujus.

PROPOSITIO XXIV. *Reg.* 1.

Si duo corpora, puta A & B eſſent planè æqualia, & in directum, verſus ſe invicem æquè velociter moverentur; cum ſibi mutuo occurrunt, utrumque in contrariam partem reflectetur nullâ ſuæ celeritatis parte amiſſa. *Vid. Fig. prop. 20.*

In hac hypotheſi clarè patet, quod, ut horum duorum corporum contrarietas tollatur, vel utrumque in contrariam partem reflecti, vel unum alterum ſecum rapere debeat; nam quoad determinationem tantum, non verò quoad motum ſibi ſunt contraria.

DEMONSTRATIO.

CUm A & B ſibi mutuo occurrunt, aliquam variationem pati debent (per ax. 19.): cum autem motus motui non ſit contrarius (per corol. propoſ. 19. hujus), nihil ſui motus amittere cogentur (per ax. 19.): Quam ob rem in ſolâ determinatione fiet mutatio: ſed unius determinationem tantum, puta B, non poſſumus concipere mutari, niſi A, à quo mutari debe-

deberet, fortius eſſe ſupponamus (per ax.20.). At hoc eſſet contra hypotheſin: ergo cum mutatio determinationis in uno tantum fieri non poſſit; fiet in utroque, deflectentibus ſcilicet A & B in contrariam partem (per illa, quæ cap.2. Dioptric. dicta ſunt), & motum ſuum integrum retinentibus, q. e. d.

PROPOSITIO XXV. Reg.2.

Vid. Fig. prop.27. *Si mole eſſent inæqualia, B nempe majus, quam A, cæteris ut prius poſitis, tunc ſolum A reflectetur, & utrumque eâdem celeritate perget moveri.*

DEMONSTRATIO.

CUm A ſupponatur minus, quam B, habebit etiam (per propoſ.21. hujus) minorem vim, quam B, cum autem in hac hypotheſi, ut in præcedenti, detur contrarietas in ſolâ determinatione, adeoque, ut in prop. præced. demonſtravimus, in ſolâ determinatione variatio fieri debeat: fiet tantum in A, & non in B (per ax.20.): quare A tantum in contrariam partem à fortiori B reflectetur, ſuam integram celeritatem retinendo, q. e. d.

PROPOSITIO XXVI.

Vid. Fig. prop.27. *Si mole & celeritate ſint inæqualia, B nempe duplo majus, quam A; motus vero in A duplo celerior, quam in B, cæteris ut prius poſitis, ambo in contrariam partem reflectentur, unoquoque ſuam, quam habebant, celeritatem retinente.*

DEMONSTRATIO.

CUm A & B verſus ſe invicem moventur, ſecundum hypotheſin, tantundem motus eſt in uno, quam in alio (per corol.2. propoſ.22. hujus): quare motus unius motui alterius non

non contrariatur (per corol. prop. 19. hujus), & vires in utroque ſunt æquales (per corol 2. propoſ. 22. hujus): quare hæc hypotheſis prorſus eſt ſimilis hypotheſi Propoſitionis 24 hujus: adeoque per ejuſdem demonſtrationem A & B in contrariam partem, ſuum motum integrum retinendo, reflectentur, q. e. d.

COROLLARIUM.

Ex tribus hiſce præcedentibus Propoſitionibus clarè apparet, quòd determinatio unius corporis æqualem vim requirat, ut mutetur, quam motus: unde ſequitur, corpus, quod plus, quam dimidium ſuæ determinationis, & plus, quam dimidiam partem ſui motus amittit, plus mutationis pati, quam id, quod totam ſuam determinationem amittit.

PROPOSITIO XXVII. *Reg.* 4.

Si mole ſint æqualia, ſed B tantillo celerius moveatur, quam A; non tantum A in contrariam partem reflectetur; ſed etiam B dimidiam partem celeritatis, quâ A excedit, in A transferet & ambo æquè celeriter pergent moveri verſus eandem partem.

DEMONSTRATIO.

A (ex hyp.) non tantum ſua determinatione opponitur B, ſed etiam ſuâ tarditate, quatenus illa de quiete participat (per corol. prop. 22. hujus): unde quamvis in contrariam partem reflectatur, & ſola determinatio mutetur, non ideo tollitur omnis horum corporum contrarietas: quare (per ax. 19.) & in determinatione & in motu variatio fieri debet: ſed cum B ex hypotheſi celerius, quam A moveatur, erit B (per propoſ. 22. hujus) fortius, quam A; quare (per ax. 20.) mutatio in A à B procedet, àquo in contrariam partem reflectetur, quod erat primum.



Deinde quamdiu tardius, quam B, movetur, ipſi B (per corol. 1. propoſ. 22. hujus) opponitur: ergo tamdiu variatio fieri debet (per ax. 19.), donec non tardius, quam B moveatur. Ut autem celerius, quam B, moveatur, à nulla cauſa adeo forti in hac hypotheſi cogitur; cum igitur neque tardius, quam B, moveri poſſit, cum à B impellatur, neque celerius, quam B, æquè ergo celeriter, ac B, perget moveri. Porro ſi B minus, quam dimidiam partem exceſſus celeritatis in A transferat, tunc A tardius, quam B perget moveri: Si vero plus, quam dimidiam partem, tunc A celerius, quam B perget moveri; quod utrumque abſurdum eſt, ut jamjam demonſtravimus; ergo variatio eouſque continget, donec B dimidiam partem exceſſus celeritatis in A tranſtulerit, quam B (per propoſ. 20. hujus) amittere debet, adeoque ambo æque celeriter ſine ullâ contrarietate pergent moveri verſus eandem partem, q. e. d.

COROLLARIUM.

HInc ſequitur, quò corpus aliquod celerius movetur, eò magis determinatum eſſe, ut, ſecundum quam lineam movetur, moveri pergat: & contrà, quò tardius, eo minus determinationis habere.

SCHOLIUM.

NE hic Lectores vim determinationis cum vi motus & quietis confundant, viſum fuit pauca adjungere, quibus vis determinationis à vi motus diſtincta explicetur. Si igitur corpora A & C æqualia, & æquali celeritate verſus ſe invicem in directum mota concipiantur; hæc duo (per prop. 24. hujus) in contrariam partem, ſuum motum integrum retinendo, reflectentur: Verum ſi corpus C ſit in B, & obliquè verſus A moveatur, perſpicuum eſt, ipſum jam minus determinatum

minatum esse, ad se movendum secundum lineam B D, vel C A;



quare quamvis æqualem cum A habeat motum, tamen vis determinationis C, in directum versus A moti, quæ æqualis est cum vi determinationis corporis A, major est vi determinationis ipsius C, ex B versus A moti, & tantò major, quantò linea B A major est linea C A: quantò enim linea B A major est linea C A; tantò etiam plus temporis (ubi B, & A æque celeriter, ut hic supponuntur, moventur) requirit B, ut secundum lineam B D, vel C A, per quam determinationi corporis A contrariatur, moveri possit: adeoque, ubi C obliquè ex B ipsi A occurrit, determinabitur, ac si secundum lineam A B̄ versus B (quod suppono, ubi in eo puncto est, quo linea A B̄ lineam B C productam secat, æque distare a C ac C distat a B) pergeret moveri; A verò, suum integrum motum, & determinationem retinendo, perget versus C moveri, corpusque B secum pellet, quandoquidem B, quamdiu secundum diagonalem A B̄ ad motum determinatum est, & æquali cum A celeritate movetur, plus temporis requirit, quam A, ut aliquam partem lineæ A C suo motu describat, & eatenus determinationi corporis A, quæ fortior est, opponitur. Sed ut vis determinationis ipsius C ex B versus A moti, quatenus de linea C A participat, æqualis sit cum vi determinationis ipsius C in directum versus A moti, (vel ex hyp. ipsius A) necessario B tot gradus motus supra A debebit habere, quot partibus linea B A major est linea C A, tumque, ubi corpori A obliquè occurrit, A in contrariam partem versus Ā & B versus B̄, unoquoque suum integrum motum retinente, reflectentur. Verum, si excessus B supra A major sit, quam excessus lineæ B A supra lineam C A, tum B repellet A versus Ā, eique tantum sui motus tribuet, donec motus B ad motum Ā se habeat, ut linea B A ad lineam C A, &

tantum motus, quantum in *A* tranſtulit, amittendo, perget verſus quam prius movebatur partem, moveri. Ex. gr. ſi linea *A* C ſit ad lineam *A* B, ut 1 ad 2, & motus corporis *A* ad motum corporis B ut 1 ad 5, tum B transferet in *A* unum gradum ſui motus, ipſumque in contrariam partem repellet, & B cum quatuor reſiduis gradibus perget verſus eandem partem, verſus quam prius tendebat, moveri.

PROPOSITIO XXVIII. *Reg.* 4.

Vid. Fig. prop. 27.

Si corpus A plane quieſceret, eſſetque paulò majus, quam B; quacunque cum celeritate B moveatur verſus A, nunquam ipſum A movebit; ſed ab eo in contrariam partem repelletur, ſuum integrum motum retinendo.

Nota, horum corporum contrarietatem tolli tribus modis, vel ubi unum alterum ſecum rapit, & poſtea æquè celeriter verſus eandem partem pergunt moveri; vel ubi unum in contrariam partem reflectitur, & alterum ſuam integram quietem retinet; vel ubi unum in contrariam partem reflectitur, & aliquid ſui motus in aliud quieſcens transfert; quartus autem caſus non datur (ex vi prop. 13. hujus): jam igitur erit (per prop. 23. hujus) demonſtrandum, quod ſecundum noſtram hypotheſin minima mutatio in hiſce corporibus contingit.

DEMONSTRATIO.

SI B moveret *A*, donec eadem celeritate pergerent ambo moveri, deberet (per propoſ. 20. hujus) tantum ſui motus in *A* transferre, quantum *A* acquirit, & (per propoſ. 21. hujus) plus quam dimidiam partem ſui motus deberet amittere, & conſequenter (per corol. propoſ. 27. hujus) plus etiam, quam dimidiam partem ſuæ determinationis, adeoque (per corol. propoſ. 26. hujus) plus mutationis pateretur, quam ſi tantum ſuam determinationem amitteret; & ſi *A* ſuæ quietis aliquid amittat, ſed non tantum, ut tandem cum B æquali celeritate, pergat moveri, tum contrarietas horum duorum corporum non tolletur, nam A ſua tarditate, quatenus illa de quiete participat (per corol. 1. propoſ. 22. hujus) celeritati B contrariabitur, ideoque *B* adhuc in contrariam partem reflecti debebit, totamque ſuam determinationem & partem ipſius motus, quem in A tranſtulit, amittet, quæ etiam major eſt mutatio, quam

ſi

ſi ſolam determinationem amitteret: mutatio igitur ſecundum noſtram hypotheſin, quoniam in ſolâ determinatione eſt, minima erit, quæ in hiſce corporibus dari poteſt, ac proinde (per prop. 23. hujus) nulla alia continget, q. e. d.

Notandum in demonſtratione hujus Propoſitionis, quod idem etiam in aliis locum habet: nempe nos non citaſſe propoſ. 19. *hujus, in quâ demonſtratur*, determinationem integram mutari poſſe, integro nihilominus manente ipſo motu: *Ad quam tamen attendi debet, ut vis demonſtrationis rectè percipiatur: Nam in prop.* 23. *hujus non dicebamus*, quod variatio ſemper erit abſolute minima; ſed minima, quæ dari poteſt. *Talem autem mutationem, quæ in ſolâ determinatione conſiſtit, poſſe dari, qualem in hac demonſtratione ſuppoſuimus, patet ex Propoſ.* 18. *&* 19. *hujus cum Coroll.*

PROPOSITIO XXIX. *Reg.* 5.

Si corpus quieſcens A eſſet minus, quam B, tum quantumvis B tardè verſus A moveretur, illud ſecum movebit, partem ſcilicet ſui motus ei talem transferendo, ut ambo poſtea æquè celeriter moveantur. (Lege Art. 50. *Part.* 2. *Princip.)* *Vid. Fig. 1 propoſ.* 30.

In hac Regula etiam, ut in præc. tres tantum caſus concipi poſſent, quibus contrarietas hæc tolleretur: nos verò demonſtrabimus, quod ſecundum noſtram hypotheſin minima mutatio in hiſce corporibus contingit; ideoque (per propoſ. 23. hujus) talimodo etiam variari debent.

DEMONSTRATIO.

SEcundum noſtram hypotheſin *B* transfert in *A* (per propoſ. 21. hujus) minus, quam dimidiam partem ſui motus, & (per corol. propoſ. 17. hujus) minus quam dimidiam partem ſuæ determinationis. Si autem *B* non raperet ſecum *A*; ſed in contrariam partem reflecteretur, totam ſuam determinationem amitteret, & major contingeret variatio (per corol. propoſ. 26. hujus): & multo major, ſi totam ſuam determinationem amitteret, & ſimul partem ipſius motus, ut in tertio caſu ſupponitur, quare variatio ſecundum noſtram hypotheſin eſt minima, q. e. d.

PROPOSITIO XXX. *Reg.* 6.

Si corpus A quiescens esset accuratissimè æquale corpori B versus illud moto, partim ab ipso impelleretur, partim ab ipso in contrarium partem repelleretur.

Hic etiam, ut in præcedente, tantum tres casus concipi possent: adeoque demonstrandum erit, nos hic ponere minimam variationem, quæ dari potest.

Demonstratio.

SI corpus *B* secum corpus *A* rapiat, donec ambo æque celeriter pergunt moveri, tum tantundem motus erit in uno

atque in alio (per propos. 22. hujus), & (per corol. propos. 27. hujus) dimidiam partem determinationis amittere debebit, & etiam (per prop. 20. hujus) dimidiam partem sui motus. Si vero ab *A* in contrariam partem repellatur, tum totam suam determinationem amittet, & totum suum motum retinebit (per propos. 18. hujus); quæ variatio æqualis est priori (per corol. propos. 26. hujus): sed neutrum horum contingere potest, nam si *A* statum suum retineret, & determinationem ipsius *B* mutare posset, esset necessario (per ax. 20.) ipso *B* fortius, quod esset contra hypothesin. Et si *B* secum raperet *A*, donec ambo æque celeriter moverentur, *B* esset fortius, quam *A*, quod etiam est contra hypothesin. Cum igitur neutrum horum casuum locum habeat, continget ergo tertius, nempe quod *B* paulum impellet *A* & ab *A* repelletur, q.e.d. Lege Art. 51. Part. 2. Princip.

PROPOSITIO XXXI. *Reg.* 7.

Vid. Fig. prop. præc.

Si B & A versus eandem partem moverentur, A quidem tardius, B autem illud insequens celerius, ita ut ipsum tandem attingeret, esseque A majus, quam B; sed excessus celeritatis in B esset major, quam

quam exceſſus magnitudinis in A; tum B transferet tantum de ſuo motu in A, ut ambo poſtea æque celeriter, & in eaſdem partes progrediantur. Si autem econtra exceſſus magnitudinis in A eſſet major, quam exceſſus celeritatis in B, in contrariam partem ab ipſo reflecteretur, motum omnem ſuum retinendo.

Lege Art. 52. Part. 2. Princ. Hic iterum, ut in præced. tres tantum caſus concipi poſſunt.

DEMONSTRATIO.

PRimæ partis. B in contrariam partem ab A, quo (per propoſ. 21. & 22. hujus) fortius ſupponitur, reflecti non poteſt (per ax. 20.); ergo, cum ipſum B ſit fortius, movebit ſecum A, & quidem tali modo, ut æquali celeritate pergant moveri: tum enim minima mutatio continget, ut ex præced. facilè apparet.

Secundæ partis. B non poteſt A, quò minus forte (per propoſ. 21. & 22. hujus) ſupponitur, impellere (per ax. 20.); nec aliquid de ſuo motu ipſi dare; quare (per coroll. propoſ. 14. hujus) B totum ſuum motum retinebit, non verſus eandem partem, ſupponitur enim ab A impediri: Ergo (per illa, quę cap. 2. Diopt. dicta ſunt) in contrariam partem reflectetur, ſuum integrum motum retinendo (per prop. 18. hujus) q. e. d.

Nota, quod hic & in præcedentibus Propoſitionibus tanquam demonſtratum aſſumpſimus, omne corpus in directum alii occurrens, à quo abſolutè impeditur, ne ulterius eandem partem verſus progrediatur, in contrariam, non vero in ullam aliam partem reflecti debere: quod ut intelligatur, lege cap. 2. Dioptr.

SCHOLIUM.

HUcuſque ad mutationes corporum, quæ ex mutuo impulſu fiunt, explicandas conſideravimus duo corpora, tanquam ab omnibus corporibus diviſa; nullâ nempe habitâ ratio-

ratione corporum, ea undequaque cingentium. Jam vero ipſorum ſtatum & mutationes conſiderabimus pro ratione corporum, à quibus undequaque cinguntur.

PROPOSITIO XXXII.

Si corpus B undequaque cingatur à corpuſculis motis, ipſum æquali vi verſus omnes partes ſimul pellentibus, quamdiu nulla alia cauſa occurrit, in eodem loco immotum manebit.

DEMONSTRATIO.

PEr ſe patet hæc propoſitio: ſi enim verſus aliquam partem, ex impulſu corpuſculorum ab una parte venientium, moveretur, corpuſcula, quæ illud movent, majori vi pellerent, quam alia, quæ illud eodem tempore in contrariam partem pellunt, & ſuum effectum ſortiri nequeunt (per ax. 29.): quod eſſet contra hypotheſin.

PROPOSITIO XXXIII.

Corpus B, iiſdem, ut ſupra poſitis, vi quantumvis parvâ adventitia, verſus quamcunque partem moveri poteſt.

DEMONSTRATIO.

OMnia corpora B immediatè tangentia, quia (ex hyp.) in motu ſunt, & B (per præc.) immotum manet, ſtatim ac ipſum B tangunt, ſuum integrum motum retinendo, in aliam partem reflectentur (per prop. 28. hujus): adeoque corpus B continuo à corporibus, quç illud immediatè tangunt, ſponte deſeritur, quantumvis igitur B fingatur magnum, nulla actio requiritur, ad ipſum à corporibus, immediatè tangentibus, ſeparandum (per id, quod 4° notavimus circa 8. def.). Quare nulla vis externa, quantumvis parva fingatur, in ipſum

ſum impingi poteſt, quæ non ſit major vi, quam B habet ad permanendum in eodem loco, (ipſum enim nullam habere vim corporibus immediatè tangentibus adhærendi, jam jam demonſtravimus) & quæ etiam, addita impulſui corpuſculorum, quæ ſimul cum ipſa vi externa B verſus eandem partem pellunt, non major ſit vi aliorum corpuſculorum, idem B in contrariam partem pellentium, (ille enim ſine vi externa huic æquali ſupponebatur): ergo (per ax. 20.) ab hâc vi externâ, quantumvis exigua fingatur, corpus B verſus quamcunque partem movebitur, q. e. d.

PROPOSITIO XXXIV.

Corpus B, iiſdem poſitis ut ſupra, non poteſt celerius moveri, quam à vi externâ impulſum eſt, quamvis particulæ, à quibus cingitur, longè celerius agitentur.

DEMONSTRATIO.

CORpuſcula, quæ ſimul cum vi externa corpus B verſus eandem partem pellunt, quanvis multo celerius agitentur, quàm vis externa B movere poteſt; quia tamen (per hyp.) non majorem vim habent, quàm corpora, quæ idem B in contrariam partem repellunt, omnes ſuæ determinationis vires in his tantum reſiſtendis impendent; nec ei (per propoſ. 32. hujus) aliquam celeritatem tribuent; Ergo, cum nullæ aliæ circumſtantiæ, ſive cauſæ ſupponantur, B à nullâ aliâ cauſâ, præter vim externam, aliquid celeritatis accipiet, ac proinde (per ax. 8. part. 1.) non poterit celerius moveri, quam à vi externâ impulſum eſt, quod erat dem.

PROPOSITIO XXXV.

Cum corpus B ſic ab externo impulſu movetur, maximam partem ſui motus à corporibus, à quibus continuo cingitur, accipit, non autem à vi externa.

DEMONSTRATIO.

CORpus B, quamvis admodum magnum fingatur, impulſu, quantumvis exiguo, moveri debet, (per propoſ. 33. hujus). Concipiamus igitur B quadruplo majus eſſe corpore externo, cujus vi pellitur: cum ergo (per præc.) ambo æque celeriter moveri debeant: quadruplo etiam plus motus erit in B, quàm in corpore externo, à quo pellitur, (per prop. 21. hujus): quare (per ax. 8. part. 1.) præcipuam partem ſui motus à vi externa non habet. Et quia præter hanc nullæ aliæ cauſæ ſupponuntur, quam corpora, à quibus continuo cingitur, (nam ipſum B ex ſe immotum ſupponitur) à ſolis ergo (per ax. 7. part. 1.) corporibus, à quibus cingitur, præcipuam partem ſui motus accipit, non autem à vi externa, q. e. d.

Nota, quod hic non poſſumus, ut ſupra, dicere, quod motus particularum ab una parte venientium requiratur ad reſiſtendum motui particularum à contraria parte venientium; nam corpora, æquali motu (ut hæc ſupponuntur) verſus ſe invicem mota, ſola determinatione, non vero motu, contraria ſunt (per corol. prop. 19. hujus): ideoque ſolam determinationem in ſibi invicem reſiſtendo impendunt, non vero motum, ac propterea corpus B nihil determinationis, & conſequenter (per corol. prop. 27. hujus) nihil celeritatis, quatenus à motu diſtinguitur, à corporibus circumjacentibus accipere poteſt: At quidem motum; imo, accedente vi adventitia, neceſſario ab iis moveri debet, ut in hac propoſitione demonſtravimus, & ex modo, quo 33 prop. demonſtravimus, clare videre eſt.

Vid. prop. 24. hujus; in eâ enim duo corpora, in ſibi invicem reſiſtendo, ſolam determinationem, non vero motum impendere, demonſtratum eſt.

PROPOSITIO XXXVI.

Si corpus aliquod, ex. gr. manus noſtra, quaquaverſum æquali motu moveri poſſet, ita ut nullis corporibus ullo modo reſiſtat, neque ulla alia corpora ipſi ullo modo reſiſtant; neceſſario in illo ſpatio, per quod ſic moveretur, tot corpora verſus unam partem, quam verſus quamcumque aliam, æquali inter ſe, & æquali cum manu vi celeritatis movebuntur.

DE-

DEMONSTRATIO.

PEr nullum ſpatium aliquod corpus moveri poteſt, quod non ſit corporibus plenum (per propoſ. 3. hujus). Dico itaque ſpatium, per quod manus noſtra ſic moveri poteſt, à corporibus repleri, quæ iiſdem, quibus dixi, conditionibus movebuntur. Si enim negas, ponantur quieſcere, vel alio modo moveri. Si quieſcunt, neceſſario motui manus tamdiu reſiſtent (per prop. 14. hujus), donec ejus motus ipſis communicetur, ut tandem cum ipſa verſus eandem partem, æquali cum celeritate moveantur (per propoſ. 20. hujus): Sed in hypotheſi ponuntur non reſiſtere; ergo hæc corpora moventur, q. er. primum.

Porro ipſa verſus omnes partes moveri debent: ſi enim negas, ponantur verſus aliquam partem non moveri, putà ab A verſus B. Si ergò manus ab A verſus B moveatur, neceſſario corporibus motis (per primam partem hujus), & quidem ſecundum tuam hypotheſin alia determinatione, ab ipſa manus determinatione diverſâ, occurret: quare ipſi reſiſtent (per prop. 14. hujus), donec cum ipſa manu verſus eandem partem moveantur (per prop. 24. & Schol. propoſ. 27. hujus): atqui manui (per hyp.) non reſiſtunt, ergo verſus quamcumque partem movebuntur, quod erat ſecundum.

Rurſus hæc corpora æquali inter ſe vi celeritatis verſus quamcunque partem movebuntur. Si enim ſupponerentur, non æquali vi celeritatis moveri: ponantur, quæ moventur ab A verſus B, non tantâ vi celeritatis moveri, quam quæ ab A verſus C moventur. Quare ſi manus eadem illâ celeritate (æquali enim motu verſus omnes partes ſine reſiſtentia moveri poſſe ſupponitur), qua corpora ab A verſus C moventur, ab A verſus B moveretur: corpora ab A verſus B mota tamdiu manui reſiſtent (per propoſ. 14. hujus), donec cum manu æquali vi celeritatis moveantur (per propoſ. 31. hujus):

at hoc eſt contra hypotheſin: ergo æquali vi celeritatis verſus omnes partes movebuntur, q. er. tertium.

Denique, ſi corpora non æquali cum manu vi celeritatis moverentur, aut manus tardius, vel minori vi celeritatis, aut celerius, vel majori vi celeritatis movebitur, quam corpora: Si prius, manus reſiſtet corporibus ipſam verſus eandem partem ſequentibus (per propoſ. 31. hujus): Si poſterius, corpora, quæ manus ſequitur, & quibuſcum verſus eandem partem movetur, ipſi reſiſtent (per eandem): quod utrumque eſt contra hypotheſin. Ergo cum neque tardius, neque celerius moveri poteſt manus, æquali vi celeritatis, ac corpora, movebitur, q. e. d.

Si quæris, cur æquali vi celeritatis, non vero abſolute æquali celeritate dico; lege Scholium coroll. prop. 27. hujus: Si deinde quæris, an manus, dum ex. gr. ab A verſus B movetur, non reſiſtat corporibus eodem tempore à B verſus A æquali vi motis: Lege propoſ. 33. hujus, ex qua intelliges, eorum vim compenſari vi corporum (hæc enim vis per. 3. part. hujus prop. illi æqualis eſt,) quæ ab A verſus B cum manu eodem tempore moventur.

PROPOSITIO XXXVII.

Si corpus aliquod, puta A, à quacumque parva vi verſus quamcumque partem moveri poteſt, illud neceſſario cingitur à corporibus, quæ æquali inter ſe celeritate moventur.

DEMONSTRATIO.

CORpus A undequaque à corporibus cingi debet (per propoſ. 6. hujus), ijſque verſus quamcumque partem æqualiter motis: Si enim quieſcerent, non à quacumque parva vi corpus A verſus quamcumque partem (ut ſupponitur) moveri poſſet; ſed ad minimum à tanta vi, quæ corpora, ipſum A immediatè tangentia, ſecum movere poſſet (per ax. 20. hujus). Deinde ſi corpora, à quibus A cingitur, majori vi verſus unam

unam partem moverentur, quam versus aliam, puta a B versus C, quam à C versus B, cum undequaque à corporibus motis cingatur (ut jamjam demonstravimus); necessario (per id, quod prop. 33. demonstravimus) corpora, ab B versus C mota, A versus eandem partem secum ferrent. Adeoque non quæcumque parva vis sufficiet ad A versus B movendum, sed præcise tanta, quæ excessum motus corporum a B versus C venientium suppleret (per ax. 20.): quare æquali vi versus omnes partes moveri debent, q. e. d.

SCHOLIUM.

CUm hæc contingant circa corpora, quæ Fluida vocantur, sequitur corpora fluida illa esse, quæ in multas exiguas particulas, & æquali vi versus omnes partes motas, sunt divisa. Et, quamvis illæ particulæ à nullo vel lynceo oculo conspici possint, non tamen erit negandum id, quod modo clarè demonstravimus: satis enim ex antedictis Propp. 10. & 11. evincitur talis naturæ subtilitas, quæ (ut jam sensus omittam) nullâ cogitatione determinari potest, aut attingi. Porro, cum etiam ex præcedentibus satis constet, quod corpora solâ suâ quiete aliis corporibus resistant, & nos in duritie, ut sensus indicant, nihil aliud percipiamus, quam quod partes corporum durorum motui manuum nostrarum resistant: clarè concludimus, illa corpora, quorum omnes particulæ juxta se mutuo quiescunt, esse dura; Lege Art. 54. 55. 56. Part. 2. Princip.

Finis secundæ Partis.

PRINCIPIA PHILOSOPHIÆ MORE GEOMETRICO DEMONSTRATA.

PARS III.

PRincipiis rerum naturalium universaliſſimis ſic expoſitis, pergendum nunc eſt ad illa, quæ ex ipſis ſequuntur, explicanda. Verumenimvero, quandoquidem ea, quæ ex iis principiis ſequuntur, plura ſunt, quàm mens noſtra unquam cogitatione perluſtrare poterit, nec ab iis ad una potius, quam alia conſideranda, determinemur; præcipuorum Phænomenon, quorum cauſas hic inveſtigabimus, brevis hiſtoria ante omnia ob oculos ponenda eſt. Hanc autem habes ab Artic. 5. uſque ad 15. Part. 3. Princip. Et ab Art. 20. uſque ad 43. proponitur hypotheſis, quam Carteſius commodiſſimam judicat, non tantum ad Phænomena cœli intelligenda: ſed etiam, ad eorum cauſas naturales indagandas.

Porro, cum ad Plantarum vel Hominis naturam intelligendam optima via ſit conſiderare, quo pacto paulatim ex ſeminibus naſcantur & generentur: talia principia erunt excogitanda, quæ valde ſimplicia, & cognitu facillima ſunt, ex quibus, tanquam ſeminibus quibuſdam, & ſidera, & terra, & denique omnia, quæ in hoc mundo aſpectabili deprehendimus, oriri potuiſſe demonſtremus: quamvisipſa nunquam ſic orta eſſe probe ſciamus. Hoc enim pacto eorum naturam longe melius exponemus, quam ſi tantum, qualia jam ſunt, deſcriberemus.

Dico, nos quærere principia ſimplicia & cognitu facilia; talia enim niſi ſint, ipſis non indigebimus; nempe quia ea tantum

tum de cauſa ſemina rebus affingemus, ut earum natura nobis facilius innoteſcat, & Mathematicorum more à clariſſimis ad magis obſcura, & à ſimpliciſſimis ad magis compoſita aſcendamus.

Dicimus deinde, nos talia principia quærere, ex quibus & ſidera, & terram, &c. oriri potuiſſe demonſtremus. Tales enim cauſas, quæ tantum ſufficiunt, ut paſſim ab Aſtronomis fit, ad Phænomena cœli explicanda, non quærimus: ſed tales, quæ etiam ad cognitionem eorum, quæ ſunt in terrâ, (nempe, quia omnia quæ ſupra terram obſervamus contingere, inter Phænomena naturæ recenſenda judicamus) nos ducant: Hæ autem ut inveniantur ſequentia obſervanda ſunt in bonâ Hypotheſi.

I. Ut nullam (in ſe tantum conſiderata) implicet contradictionem.

II. Ut ſit ſimpliciſſima, quæ dari poteſt.

III. Quod ex ſecundo ſequitur, ut ſic cognitu facillima.

IV. Ut omnia, quæ in totâ natura obſervantur ex ipſâ deduci queant.

Diximus denique, nobis licere Hypotheſin aſſumere, ex qua, tanquam ex cauſa, naturæ Phænomena deducere queamus; quamvis ipſa ſic orta non fuiſſe, probe ſciamus. Quod ut intelligatur, hoc utar exemplo. Siquis in chartâ lineam curvam, quam Parabolam vocamus, deſcriptam inveniat, & ipſius naturam inveſtigare velit, ſive is ſupponat, illam lineam ex Cono aliquo prius ſectam, & deinde chartæ impreſſam; ſive ex motu duarum linearum rectarum deſcriptam, ſive aliquo alio modo ortam fuiſſe, perinde eſt; modò ex eo, quod ſupponit, omnes proprietates Parabolæ demonſtret. Imo, quamvis ſciat, illam in chartâ ex impreſſione ſecti Coni ortum habuiſſe; poterit nihilominus ad libitum aliam cauſam fingere, quæ ipſi commodiſſima videtur, ad omnes Parabolæ proprietates explicandas. Sic etiam nobis ad delineamenta naturæ explicanda, hypotheſin aliquam ad libitum

bitum assumere licet, modo ex ipsa omnia naturæ Phænomena per Mathematicas consequentias deducamus. Et, quod magis notatu dignum est, vix aliquid assumere poterimus, ex quo non idem effectus, quamquam fortasse operosius, per naturæ Leges supra explicatas, deduci possint. Cum enim earum Legum ope materia formas omnes, quarum est capax, successive assumat; si formas istas ordine consideremus, tandem ad illam, quæ est hujus mundi poterimus devenire: adeo ut nihil erroris ex falsa hypothesi sit timendum.

POSTULATUM.

PEtitur, ut concedatur, omnem illam materiam, ex quâ hic mundus aspectabilis est compositus, fuisse initio à Deo divisam in particulas, quàm proxime inter se æquales, non quidem sphæricas, quia plures globuli simul juncti spatium continuum non replent, sed in partes alio modo figuratas, & magnitudine mediocres, sive medias inter illas omnes, ex quibus jam cœli atque astra componuntur; easque tantundem motus in se habuisse, quantum jam in mundo reperitur, & æqualiter fuisse motas; tum singulas circa propria sua centra, & separatim à se mutuo, ita ut corpus fluidum componerent, quale cœlum esse putamus; tum etiam plures simul circa alia quædam puncta, æque à se mutuo remota, & eodem modo dispositа, acjam sunt centra fixarum; nec non etiam circa alia aliquanto plura, quæ æquent numerum Planetarum; sicque tot varios vortices componerent, quot jam astra sunt in mundo. Vide Figuram Artic. 47. Part. 3. Princip.

Hæc hypothesis in se spectata nullam implicat contradictionem; nihil enim materiæ tribuit præter divisibilitatem, & motum, quas modificationes jam supra demonstravimus in materia realiter existere, & quia materiam indefinitam, ac cœli & terræ unam eandemque esse ostendimus, has modificationes in tota materia fuisse, sine ullius contradictionis scrupulo supponere possumus.

Et

Eſt deinde hæc hypotheſis ſimpliciſſima, quia nullam ſupponit inæqualitatem, neque diſſimilitudinem in particulis, in quas materia in initio fuerit diviſa, neque etiam in earum motu; ex quo ſequitur hanc hypotheſin etiam eſſe cognitu facillimam: Quod idem etiam patet ex eo, quod nihil per hanc hypotheſin in materiâ ſupponitur fuiſſe, præter id, quod cuilibet ſponte ex ſolo materiæ conceptu innoteſcit, diviſibilitas nimirum, ac motus localis.

Quod autem ex ipſâ omnia, quæ in natura obſervantur, deduci queant, reipſâ, quoad fieri poteſt, oſtendere conabimur, idque ſequenti ordine. Primo fluiditatem Cœlorum ex ipſa deducemus, &, quomodo ea cauſa ſit lucis, explicabimus. Deinde ad naturam Solis pergemus, & ſimul ad ea, quæ in Stellis fixis obſervantur. Poſtea de Cometis, & tandem de Planetis, eorumque Phænomenis dicemus.

DEFINITIONES.

I. Per *Eclipticam* intelligimus illam partem vorticis, quæ, dum gyrat circa axem, maximum circulum deſcribit.

II. Per *Polos* intelligimus partes vorticis, quæ ab Eclipticâ ſunt remotiſſimæ, ſive quæ minimos deſcribunt circulos.

III. Per *Conatum ad motum* non intelligimus aliquam cogitationem; ſed tantum, quod pars materiæ ita eſt ſita, & ad motum incitata, ut reverâ eſſet aliquò itura, ſi à nullâ cauſa impediretur.

IV. Per *Angulum* intelligimus, quicquid in aliquo corpore ultra figuram ſphæricam prominet.

AXIOMATA.

I. Plures globuli ſimul juncti ſpatium continuum occupare nequeunt.

II. Materiæ portio in partes anguloſas diviſæ, ſi partes

ipſius circa propria ſua centra moveantur, majus ſpatium requirit, quam ſi omnes ipſius partes quieſcerent, & omnia earum latera ſe invicem immediatè tangerent.

III. Pars materiæ, quò minor eſt, eò facilius ab eâdem vi dividitur.

IV. Partes materiæ, quæ ſunt in motu verſus eandem partem, & à ſe invicem in ipſo motu non recedunt, non ſunt actu diviſæ.

PROPOSITIO I.

Partes materiæ, in quas primò fuit diviſa, non erant rotundæ, ſed anguloſæ.

DEMONSTRATIO.

MAteria tota in partes æquales & ſimiles ab initio fuit diviſa (per poſtulat): ergo (per ax. 1. & prop. 2. part. 2.) non fuerunt rotundæ: atque adeo (per defin. 4.) anguloſæ, q. e. d.

PROPOSITIO II.

Vis, quæ effecit, ut materiæ particulæ circa propria centra moverentur, ſimul effecit, ut particularum anguli mutuo occurſu atterentur.

DEMONSTRATIO.

TOta materia in initio in partes æquales (per poſtulat.) atque anguloſas (per propoſ. 1. hujus) fuit diviſa. Si itaque, ſimulac cœperint moveri circa propria centra, anguli earum non attriti fuiſſent, neceſſario (per axiom. 2.) tota materia majus ſpatium occupare debuiſſet, quam cum quieſcebat: atqui hoc eſt abſurdum (per prop 4. part. 2.): ergo earum anguli fuerunt attriti, ſimulac moveri cœperint, q. e. d.

Reliqua deſiderantur.

APPENDIX,

CONTINENS

COGITATA METAPHYSICA,

IN QUIBUS

Difficiliores, quæ in Metaphyſices tam parte Generali, quam Speciali, circa Ens, ejuſque Affectiones, Deum, ejuſque Attributa, & Mentem humanam occurrunt, quæſtiones breviter explicantur,

AUTHORE

BENEDICTO de SPINOZA,
AMSTELODAMENSI.

APPENDICIS
COGITATA METAPHYSICA
CONTINENTIS
PARS I,

In quâ præcipua, quæ in parte Metaphysices generali, circa Ens, ejusque Affectiones vulgò occurrunt, breviter explicantur.

CAP. I.

De Ente Reali, Ficto, & Rationis.

DE definitione hujus Scientiæ nihil dico, nec etiam circa quę versetur; sed tantum ea, quę obscuriora sunt, & passim ab Authoribus in Metaphysicis tractantur, explicare hic est animus.

Incipiamus igitur ab Ente, per quod intelligo *Id omne, quod, cum clarè & distinctè percipitur, necessariò existere, vel ad minimum posse existere reperimus.* *Entis definitio.*

Ex hac autem definitione, vel, si mavis, descriptione sequitur, quod *Chimæra*, *Ens fictum*, & *Ens rationis* nullo modo ad entia revocari possint. Nam* *Chimæra* ex suâ naturâ existere nequit. *Ens* vero *fictum* claram & distinctam perceptionem secludit; quia homo ex solâ mera libertate, & non, ut in falsis, insciens, sed prudens & sciens connectit, quę connectere, & disjungit, quę disjungere vult. *Ens* denique *rationis* nihil est præter modum cogitandi, cui inservit ad res intellectas faciliùs *retinendas*, *explicandas atque imaginandas*. Ubi notandum, quod per modum cogitandi intelligimus id, quod jam Schol. propos. 4. part. 1. explicuimus, nempe omnes cogitationis affectiones, videlicet intellectum, lætitiam, imaginationem, &c. *Chimæra, Ens fictum, & Ens rationis non esse entia.* * Nota, quod nomine Chimæræ hic, & in seqq. intelligatur id, cujus natura apertam involvit contradictionem, ut fusius explicatur, cap. 3.

Quibus cogitandi modis res retineamus.

Quod autem dentur quidam modi cogitandi, qui inſerviunt ad res firmius atque facilius *retinendas*, & ad ipſas, quando volumus, in mentem revocandas, aut menti præſentes ſiſtendas, ſatis conſtat iis, qui notiſſima illa regula Memoriæ utuntur: qua nempe ad rem noviſſimam retinendam & memoriæ imprimendam ad aliam nobis familiarem recurritur, quæ vel nomine tenus vel re ipſa cum hac conveniat. Hunc ſimiliter in modum Philoſophi res omnes naturales ad certas claſſes reduxerunt, ad quas recurrunt, ubi aliquid novi ipſis occurrit, quas vocant *genus*, *ſpecies* &c.

Quibus cogitandi modis res explicemus.

Ad rem deinde *explicandam* etiam modos cogitandi habemus, determinando ſcilicet eam per comparationem ad aliam. Modi cogitandi, quibus id efficimus vocantur *tempus*, *numerus*, *menſura*, & ſiquæ adhuc alia ſunt. Horum autem tempus inſervit durationi explicandæ, numerus quantitati diſcretæ, menſura quantitati continuæ.

Quibus cogitandi modis res imaginemur.

Denique, cum aſſueti ſimus omnium, quæ intelligimus, etiam imagines aliquas in noſtra phantaſia depingere; fit, ut non-entia poſitivè, inſtar entium, *imaginemur*. Nam mens in ſe ſola ſpectata, cum ſit res cogitans, non majorem habet potentiam ad affirmandum, quam ad negandum: imaginari vero cum nihil aliud ſit, quam ea, quæ in cerebro reperiuntur à motu ſpirituum, qui in ſenſibus ab objectis excitatur, veſtigia ſentire, talis ſenſatio non, niſi confuſa affirmatio, eſſe poteſt. Atque hinc fit, ut omnes modos, quibus mens utitur ad negandum, quales ſunt, cæcitas, extremitas ſive finis, terminus, tenebræ &c. tanquam entia imaginemur.

Negationes cur non ſint Ideæ rerum, & tamen pro iis habeantur.

Unde clarè patet, hos modos cogitandi non eſſe ideas rerum, nec ullo modo ad ideas revocari poſſe; quare etiam nullum habent ideatum, quod neceſſario exiſtit, aut exiſtere poteſt. Cauſa autem, ob quam hi modi cogitandi pro ideis rerum habentur, eſt, quia ab ideis entium realium tam immediatè proficiſcuntur, & oriuntur, ut facillimè cum ipſis ab iis, qui non accuratiſſimè attendunt, confundantur: unde etiam nomina

mina ipſis impoſuerunt, tanquam ad ſignificandum entia extra mentem noſtram exiſtentia, quæ Entia, ſive potius Non-entia Entia rationis vocaverunt.

Male dividi Ens in reale & rationis.

Hinçque facilè videre eſt, quàm inepta ſit illa diviſio, qua dividitur ens in ens reale, & ens rationis: dividunt enim ens in ens & non-ens, aut in ens & modum cogitandi: Attamen non miror Philoſophos verbales, ſive grammaticales in ſimiles errores incidere: res enim ex nominibus judicant, non autem nomina ex rebus.

Ens rationis quomodo dici poſſit merum nihil, & quomodo Ens reale.

Nec minus ineptè loquitur, qui ait ens rationis non eſſe merum nihil. Nam ſi id, quod iſtis nominibus ſignificatur, extra intellectum quærit, merum nihil eſſe reperiet: ſi autem ipſos modos cogitandi intelligit, vera entia realia ſunt. Nam cùm rogo, quid ſit ſpecies, nihil aliud quæro, quam naturam iſtius modi cogitandi, qui revera eſt ens, & ab alio modo cogitandi diſtinguitur; verùm, hi modi cogitandi ideæ vocari non poſſunt, neque veri aut falſi poſſunt dici, ſicut etiam amor non poteſt verus aut falſus vocari, ſed bonus aut malus. Sic Plato cùm dixit, hominem eſſe animal bipes ſine plumis, non magis erravit, quam qui dixerunt hominem eſſe animal rationale; nam Plato non minus cognovit hominem eſſe animal rationale, quam cæteri cognoſcunt; verum ille hominem revocavit ad certam claſſem, ut quando vellet de homine cogitare, ad illam claſſem recurrendo, cujus facile recordari potuerat, ſtatim in cogitationem hominis incideret: Imo Ariſtoteles graviſſimè erravit, ſi putavit ſe illa ſuâ definitione humanam eſſentiam adæquate explicuiſſe: An vero Plato benè fecerit, tantum quæri poſſet: ſed hæc non ſunt hujus loci.

In Rerum inveſtigatione Entia realia cum entibus rationis non confundenda.

Ex omnibus ſupradictis inter ens reale & entis rationis ideata nullam dari convenientiam apparet: Unde etiam facilè videre eſt, quàm ſedulo ſit cavendum in inveſtigatione rerum, ne entia realia, cum entibus rationis confundamus: Aliud enim eſt inquirere in rerum naturam, aliud in modos, quibus

res

res a nobis percipiuntur. Hæc vero si confundantur, neque modos percipiendi, neque naturam ipsam intelligere poterimus; imò vero, quod maximum est, in causa erit, quòd in magnos errores incidemus, quemadmodum multis hucusque contigit.

Quomodo Ens rationis, & Ens fictum distinguantur.

Notandum etiam, quod multi confundunt ens rationis cum ente ficto: putant enim ens fictum etiam esse ens rationis, quia nullam extra mentem habet existentiam. Sed si ad entis rationis, & entis ficti definitiones modò traditas rectè attendatur, reperietur inter ipsa, tum ex ratione causæ, tum etiam ex eorum naturâ, absque respectu causæ, magna differentia. Ens fictum enim nihil aliud esse diximus, quam duos terminos connexos ex solâ merâ voluntate sine ullo ductu rationis; unde ens fictum casu potest esse verum. Ens vero rationis, nec a solâ voluntate dependet, nec ullis terminis inter se connexis constat, ut ex definitione satis sit manifestum. Ei quis igitur roget, an ens fictum ens reale sit, an verò ens rationis, tantum repetendum, atque regerendum est id, quod jam diximus, nempe male dividi ens in ens reale, & ens rationis, ideoque malo fundamento quæritur, an ens fictum ens reale sit, an verò rationis: supponitur enim omne ens dividi in ens reale, & rationis.

Entis divisio.

Sed ad nostrum propositum revertamur, à quo videmur utcunque jam deflexisse. Ex entis definitione, vel, si mavis, descriptione jam tradità facilè videre est, quod ens dividendum sit in ens, quod suâ natura necessario existit, sive cujus essentia involvit existentiam, & in ens, cujus essentia non involvit existentiam, nisi possibilem. Hoc ultimum dividitur in Substantiam & Modum, quorum definitiones part. 1. Art. 51. 52. & 56. Princ. Philos. traduntur; quare non necesse est, eas hic repetere. Sed tantùm notari volo circa hanc divisionem, quod expresse dicimus ens dividi in Substantiam & Modum; non vero in Substantiam & Accidens: nam Accidens nihil est præter modum cogitandi, utpote quod solummodo respectum denotat,

notat. Ex. grat. cum dico triangulum moveri, motus non eſt trianguli modus, ſed corporis, quod movetur: unde motus reſpectu trianguli accidens vocatur: reſpectu vero corporis eſt ens reale, ſive modus: non enim poteſt motus concipi ſine corpore, at quidem ſine triangulo.

Porro ut jam dicta, & etiam quæ ſequentur, melius intelligantur, explicare conabimur, quid per *eſſe eſſentiæ*, *eſſe exiſtentiæ*, *eſſe ideæ*, ac denique *eſſe potentiæ* intelligendum ſit: Quo etiam nos movet quorundam ignorantia, qui nullam diſtinctionem agnoſcunt inter eſſentiam & exiſtentiam, vel, ſi agnoſcunt, *eſſe eſſentiæ* cum *eſſe ideæ* vel *eſſe potentiæ* confundunt. Ut his igitur, & rei ipſi ſatisfaciamus, rem quam diſtinctè poterimus, in ſequentibus explicabimus.

CAP. II.

Quid ſit eſſe Eſſentiæ, quid eſſe Exiſtentiæ, quid eſſe Ideæ, quid eſſe Potentiæ.

UT clarè percipiatur, quid per hæc quatuor intelligendum ſit, tantùm neceſſe eſt, ut nobis ob oculos ponamus ea, quæ de ſubſtantia increata, ſive de Deo diximus, nempe

1°. Deum eminenter continere id, quod formaliter in rebus creatis reperitur, hoc eſt, Deum talia attributa habere, quibus omnia creata eminentiori modo contineantur, vide part. 1. axiom. 8. & coroll. 1. prop. 12. Ex. gr. extenſionem clarè concipimus ſine ulla exiſtentia, ideoque, cum per ſe nullam habeat vim exiſtendi, à Deo creatam eſſe demonſtravimus, prop. ultima part. 1. Et, quia in cauſa tantundem perfectionis ad minimum debet eſſe, quantum eſt in effectu, ſequitur, omnes perfectiones extenſionis Deo ineſſe. Sed quia poſtea rem extenſam ex ſua natura diviſibilem eſſe videbamus, hoc eſt, imperfectionem continere, ideo Deo extenſionem tribuere non potuimus, part. 1. propoſ. 16, adeoque fateri co- *Creaturæ in Deo eſſe eminenter.*

gebamur, Deo aliquod attributum ineſſe, quod omnes materiæ perfectiones excellentiori modo continet, Schol. prop. 9. part. 1, quodque vices materiæ ſupplere poteſt:

2°. Deum ſeipſum, atque omnia alia intelligere, hoc eſt, omnia objectivè etiam in ſe habere, part. 1. prop. 9.

3°. Deum eſſe omnium rerum cauſam, eumque ex abſolutâ libertate voluntatis operari.

Quid ſit eſſe eſſentiæ, exiſtentiæ, ideæ, ac potentiæ?

Ex his itaque clarè videre eſt, quid per illa quatuor intelligendum ſit. Primum enim *eſſe* ſcilicet *Eſſentiæ*, nihil aliud eſt, quàm modus ille, quo res creatæ in attributis Dei comprehenduntur: *eſſe* deinde *Ideæ* dicitur, prout omnia objectivè in ideâ Dei continentur: *eſſe* porrò *Potentiæ* dicitur tantum reſpectu potentiæ Dei, quâ omnia nondum adhuc exiſtentia ex abſolutâ libertate voluntatis creare potuerat: *eſſe* denique *Exiſtentiæ* eſt ipſa rerum eſſentia extra Deum, & in ſe conſiderata, tribuiturque rebus, poſtquam à Deo creatæ ſunt.

Hæc quatuor à ſe invicem non diſtingui, niſi in creaturis.

Ex quibus clarè apparet, hæc quatuor non diſtingui inter ſe, niſi in rebus creatis: in Deo verò nullo modo: Deum enim non concipimus fuiſſe potentiâ in alio, & ejus exiſtentia, ejuſque intellectus ab ejus eſſentiâ non diſtinguuntur.

Ad quæſtiones quaſdam de Eſſentia reſpondetur.

Ex his facilè ad quæſtiones, quæ paſſim de eſſentiâ circumferuntur, reſpondere poſſumus. Quæſtiones autem hæ ſunt ſequentes: an eſſentia diſtinguatur ab exiſtentia, & ſi diſtinguatur, an ſit aliquid diverſum ab idea: & ſi aliquid diverſum ab ideâ ſit, an habeat aliquod eſſe extra intellectum; quòd poſtremum ſanè neceſſariò fatendum eſt. Ad primam autem ſub diſtinctione reſpondemus, quod eſſentia in Deo non diſtinguatur ab exiſtentiâ; quandoquidem ſine hac illa non poteſt concipi: in cæteris autem eſſentia differt ab exiſtentiâ, poteſt nimirum ſine hac concipi. Ad ſecundam verò dicimus, quod res, quæ extra intellectum clarè & diſtinctè, ſive verè concipitur, aliquid diverſum ab ideâ ſit. Sed denuo quæritur, an illud eſſe extra intellectum ſit à ſe ipſo, an verò à Deo creatum. Ad quod reſpondemus, eſſentiam formalem non

eſſe

esse à se, nec etiam creatam; hæc duo enim supponerent rem actu existere: sed à sola essentia divina pendere, in qua omnia continentur; adeoque hoc sensu iis assentimur, qui dicunt essentias rerum æternas esse. Quæri adhuc posset, quomodo nos, nondum intellecta natura Dei, rerum essentias intelligamus; cum illæ, ut modo diximus, à sola Dei natura pendeant. Ad hoc dico, id ex eo oriri, quod res jam creatæ sunt: si enim non essent creatæ, prorsus concederem, id impossibile fore, nisi post naturæ Dei adæquatam cognitionem: eodem modo ac impossibile est, imò magis impossibile, quam, ex nondum nota natura Parabolæ naturam ejus ordinatim applicatarum noscere.

Cur auctor in definitione essentiæ ad Dei attributa recurrit.

Porro notandum, quod, quamvis essentiæ modorum non existentium in illorum substantiis comprehendantur, & eorum *esse essentiæ* in illorum substantiis sit, nos tamen ad Deum recurrere voluimus, ut generaliter essentiam modorum & substantiarum explicaremus, & etiam, quia essentia modorum non fuit in illorum substantiis, nisi post earum creationem, & nos *esse essentiarum* æternum quærebamus.

Cur aliorum definitiones non recensuit.

Adhæc non puto operæ pretium esse, hic Authores, qui diversum à nobis sentiunt, refutare, nec etiam eorum definitiones aut descriptiones de essentia & existentia examinare: nam hoc modo rem claram obscuriorem redderemus: quid enim magis clarum, quam, quid sit essentia & existentia, intelligere; quandoquidem nullam definitionem alicujus rei dare possumus, quin simul ejus essentiam explicemus.

Quomodo distinctio inter essentiam & existentiam facile addiscatur.

Denique, si quis Philosophus adhuc dubitet, an essentia ab existentia distinguatur in rebus creatis, non est quod multum de definitionibus essentiæ & existentiæ laboret, ut istud dubium tollatur: si enim tantum adeat statuarium aliquem, aut fabrum lignarium; illi ipsi ostendent, quomodo statuam nondum existentem certo ordine concipiant, & postea eam ipsi existentem præbebunt.

CAP. III.

De eo, quod eſt Neceſſarium, Impoſsibile, Poſsibile & Contingens.

Quid hic per affectiones intelligendum ſit.

NAtura entis, quatenus ens eſt, ſic explicata, ad aliquas ejus affectiones explicandas tranſimus; ubi notandum venit, quod per affectiones hic intelligimus id, quòd aliàs per attributa denotavit Carteſius in part. 1. Princ. Philoſ. art. 52. Nam ens, quatenus ens eſt, per ſe ſolum, ut ſubſtantia, nos non afficit, quare per aliquod attributum explicandum eſt, à quo tamen non, niſi ratione, diſtinguitur. Unde non ſatis mirari poſſum illorum ingenia ſubtiliſſima, qui medium quæſiverunt, non ſine magno detrimento veritatis, inter ens & nihil. Sed in eorum errorem refutando non morabor, quandoquidem ipſi, ubi talium affectionum definitiones tradere moliuntur, in vana ſua ſubtilitate prorſus evaneſcunt.

Affectionum definitio.

Nos igitur rem noſtram agemus, dicimuſque *Entis affectiones* eſſe, *quædam attributa, ſub quibus uniuscujuſque eſſentiam vel exiſtentiam intelligimus, à qua tamen non niſi ratione diſtinguuntur.* De his quaſdam, (non enim omnes pertractare mihi aſſumo) hic explicare, & à denominationibus, quæ nullius entis ſunt affectiones, ſeparare conabor. Ac primo quidem agam de eo, quod eſt *neceſſarium, & impoſsibile.*

Quot modis res dicatur neceſſaria & impoſsibilis.

Duobus modis res dicitur neceſſaria & impoſſibilis, vel reſpectu ſuæ eſſentiæ, vel reſpectu cauſæ. Reſpectu eſſentiæ Deum neceſſario exiſtere novimus: nam ejus eſſentia non poteſt concipi ſine exiſtentiâ: chimæra verò reſpectu implicantiæ ſuæ eſſentiæ non potis eſt, ut exiſtat. Reſpectu cauſæ dicuntur res, e. g. materiales, eſſe impoſſibiles aut neceſſariæ: nam ſi tantum ad earum eſſentiam reſpicimus, illam concipere poſſumus clarè & diſtinctè ſine exiſtentiâ, quapropter nunquam exiſtere poſſunt vi & neceſſitate eſſentiæ: ſed tantum vi cauſæ, Dei nempe omnium rerum creatoris. Si itaque in decreto divino eſt, ut res aliqua exiſtat, neceſſariò exiſtet;

ſin

ſin minus impoſſibile erit, ut exiſtat. Nam per ſe manifeſtum eſt, id quod nullam cauſam, internam ſcilicet aut externam, habet ad exiſtendum, impoſſibile eſſe, ut exiſtat: atqui res in hac ſecunda hypotheſi ponitur talis, ut neque vi ſuæ eſſentiæ, quam per cauſam internam intelligo, neque vi decreti divini, unicæ omnium rerum cauſæ externæ, exiſtere poſſit: unde ſequitur, res ut in ſec. hyp. à nobis ſtatuuntur, impoſſibiles eſſe, ut exiſtant.

Chimæram commode ens verbale vocari.

Ubi notandum venit, 1°. Chimæram, quia neque in intellectu eſt, neque in imaginatione, à nobis ens verbale commode vocari poſſe; nam ea non niſi verbis exprimi poteſt. Ex. gr. Circulum quadratum verbis quidem exprimimus, imaginari autem nullo modo, & multò minus intelligere poſſumus. Quapropter Chimæra præter verbum nihil eſt, ideoque impoſſibilitas inter affectiones entis numerari non poteſt: eſt enim mera negatio.

Res creatas, quoad eſſentiam & exiſtentiam à Deo dependere.

2°. Notandum venit, quod non tantum rerum creatarum exiſtentia: verum etiam, ut infrà in ſec. part. evidentiſſimè demonſtrabimus, earum eſſentia & natura à ſolo Dei decreto dependet. Ex quo clarè ſequitur, res creatas nullam ex ſe ipſis habere neceſſitatem: nempe quia ex ſe ipſis nullam habent eſſentiam, nec à ſe ipſis exiſtunt.

Neceſſitatem, quæ in rebus creatis à cauſa eſt, eſſe vel eſſentiæ vel exiſtentiæ; at hæc duo in Deo non diſtingui.

3°. Denique notandum eſt, quod neceſſitas, qualis vi cauſæ in rebus creatis eſt, dicatur vel reſpectu earum eſſentiæ, vel reſpectu earum exiſtentiæ: nam hæc duo in rebus creatis diſtinguuntur, illa enim à legibus naturæ æternis dependet, hæc vero à ſerie & ordine cauſarum. Verum in Deo, cujus eſſentia ab illius exiſtentia non diſtinguitur, eſſentiæ neceſſitas etiam non diſtinguitur à neceſſitate exiſtentiæ; unde ſequitur, quod ſi totum ordinem naturæ conciperemus, inveniremus, quod, multa, quorum naturam clarè & diſtinctè percipimus, hoc eſt, quorum eſſentia neceſſariò talis eſt, nullo modo poſſent exiſtere; nam tales res in natura exiſtere æquè impoſſibile reperiremus, ac jam cognoſcimus impoſſibile eſſe, ut magnus,

elephantus in acus foramine recipi poſſit: quamvis utriuſque naturam clarè percipiamus. Unde exiſtentia illarum rerum non eſſet, niſi chimæra, quam neque imaginari, neque intelligere poſſemus.

Poſsibile & contingens non eſſe rerum affectiones.

Atque hæc de neceſſitate & impoſſibilitate, quibus pauca de *poſsibili* & *contingente* viſum eſt adjungere; nam hæc duo à nonnullis pro rerum affectionibus habentur; cum tamen revera nihil aliud ſint, quàm defectus noſtri intellectus, quòd clarè oſtendam, poſtquam explicavero, quid per hæc duo intelligendum ſit.

Quid ſit poſsibile, quid contingens.

Res poſsibilis itaque dicitur, *cum ejus cauſam efficientem quidem intelligimus; Attamen an cauſa determinata ſit, ignoramus*; Unde etiam ipſam, ut poſſibilem, non verò neque ut neceſſariam, neque ut impoſſibilem conſiderare poſſumus. Si autem *ad rei eſſentiam ſimpliciter; non verò ad ejus cauſam* attendamus, *illam contingentem* dicemus, hoc eſt, illam, ut medium inter Deum, & chimæram, ut ſic loquar, conſiderabimus, nempe quia ex parte eſſentiæ nullam in ipſâ reperimus neceſſitatem exiſtendi, ut in eſſentiâ divinâ, neque etiam implicantiam ſive impoſſibilitatem, ut in chimærâ. Quod ſi quis id, quod ego *poſsibile* voco, *contingens*, & contra id, quod ego *contingens*, *poſsibile* vocare velit, non ipſi contradicam: neque enim de nominibus diſputare ſoleo. Sat erit, ſi nobis concedat, hæc duo non niſi defectus noſtræ perceptionis, nec aliquid reale eſſe.

Poſsibile, & contingens eſſe tantum defectus noſtri intellectus.

Siquis autem id ipſum negare velit, illi ſuus error nullo negotio demonſtratur: ſi enim ad naturam attendat, & quomodo ipſa à Deo dependet, nullum *contingens* in rebus eſſe reperiet, hoc eſt, quod ex parte rei poſſit exiſtere, & non exiſtere, ſive, ut vulgo dicitur, *contingens reale* ſit: quod facilè apparet ex eo, quod ax. 10. part. 1. docuimus, tantam ſcilicet vim requiri ad rem creandam, quam ad ipſam conſervandam: Quare nulla res creata propriâ vi aliquid facit, eodem modo ac nulla res creata ſuâ propria vi incepit exiſtere.

Ex

Ex quo ſequitur, nihil fieri, niſi vi cauſæ omnia creantis, ſcilicet Dei, qui ſuo concurſu ſingulis momentis omnia procreat. Cum autem nihil fiat, niſi a ſolâ divinâ potentiâ, facile eſt videre, ea, quæ fiunt, vi decreti Dei, ejuſque voluntatis fieri. At, cum in Deo nulla ſit inconſtantia, nec mutatio, per prop. 18. & corol. prop. 20. part. 1. illa, quę jàm producit, ſe producturum ab æterno decreviſſe debuit; cumque nihil magis neceſſarium ſit, ut exiſtat, quàm quod Deus extiturum decrevit, ſequitur, neceſſitatem exiſtendi in omnibus rebus creatis ab æterno fuiſſe. Nec dicere poſſumus, illas eſſe contingentes, quia Deus aliud decreviſſe potuit; nam, cum in æternitate non detur quando, nec ante, nec poſt, neque ulla affectio temporis, ſequitur, Deum nunquam ante illa decreta extitiſſe, ut aliud decernere poſſet.

Conciliationem libertatis noſtri arbitrii, & prædeterminationis Dei, humanum captum ſuperare.

Quod verò attinet ad libertatem humanæ voluntatis, quam liberam eſſe diximus ſchol. propoſ. 15. part. 1. illa etiam a Dei concurſu conſervatur, nec ullus homo aliquid vult, aut operatur, niſi id, quod Deus ab æterno decrevit, ut vellet & operaretur. Quomodo autem id fieri poſſit, ſervatâ humanâ libertate, captum noſtrum excedit: neque ideo, quod clare percipimus, propter id, quod ignoramus, erit rejiciendum; clarè enim & diſtinctè intelligimus, ſi ad noſtram naturam attendamus, nos in noſtris actionibus eſſe liberos, & de multis deliberare propter id ſolum, quod volumus; ſi etiam ad Dei naturam attendamus, ut modò oſtendimus, clarè & diſtinctè percipimus, omnia ab ipſo pendere, nihilque exiſtere, niſi quod ab æterno à Deo decretum eſt, ut exiſtat. Quomodo autem humana voluntas à Deo ſingulis momentis procreetur tali modo, ut libera maneat, id ignoramus; multa enim ſunt, quæ noſtrum captum excedunt, & tamen à Deo ſcimus facta eſſe, uti ex gr. eſt illa realis diviſio materiæ in indefinitas particulas ſatis evidenter a nobis demonſtrata in Sec. Part. propoſ. 11. quamvis ignoremus, quomodo diviſio illa fiat. Nota, quod hic pro re notâ

notâ ſupponimus, has duas notiones, *poſſibile* nempe, & *contingens*, tantum defectum cognitionis noſtræ circa rei exiſtentiam ſignificare.

CAP. IV.

De Duratione & Tempore.

EX eo, quod ſupra diviſimus ens in ens, cujus eſſentia involvit exiſtentiam, & in ens, cujus eſſentia non involvit niſi poſſibilem exiſtentiam; oritur diſtinctio inter æternitatem & durationem. De *æternitate* infrà fuſius loquemur. Hic tantùm dicimus eam eſſe *attributum, ſub quo infinitam Dei exiſtentiam concipimus. Duratio vero eſt attributum, ſub quo rerum creatarum exiſtentiam; prout in ſuâ actualitate perſeverant, concipimus.* Ex quibus clarè ſequitur, durationem a totâ alicujus rei exiſtentiâ non, niſi ratione, diſtingui. Quantum enim durationi alicujus rei detrahis, tantundem ejus exiſtentiæ detrahi neceſſe eſt. Hæc autem ut determinetur, comparamus illam cum duratione aliarum rerum, quæ certum & determinatum habent motum, *hæcque comparatio tempus* vocatur. Quare tempus non eſt affectio rerum; ſed tantum merus modus cogitandi, ſive, ut jam diximus, ens rationis; eſt enim modus cogitandi durationi explicandæ inſerviens. Notandum hic in duratione, quod poſtea uſum habebit, quando de æternitate loquemur, videlicet, quòd major & minor concipiatur, & quaſi ex partibus componi, & deinde quod tantùm ſit attributum exiſtentiæ, non verò eſſentiæ.

Quid ſit æternitas.

Quid duratio.

Quid Tempus.

CAP. V.

De Oppoſitione, Ordine, &c.

EX eo, quod res inter ſe comparamus, quædam oriuntur notiones, quæ tamen extra res ipſas nihil ſunt, niſi cogitandi

tandi modi. Quod inde apparet, quia si ipsas, ut res extra cogitationem positas, considerare velimus, clarum, quem alias de ipsis habemus conceptum, statim confusum reddimus. Notiones verò tales hæ sunt, videlicet *Oppositio*, *Ordo*, *Convenientia*, *Diversitas*, *Subjectum*, *Adjunctum*, & si quæ adhuc alia his similia sunt. Hæ, inquam, à nobis satis clarè percipiuntur, quatenus ipsas, non ut quid ab essentiis rerum oppositarum, ordinatarum &c. diversum, concipimus; sed tantum ut modos cogitandi, quibus res ipsas facilius vel retinemus, vel imaginamur. Quare de his fusius loqui non necesse esse judico; sed ad terminos vulgo transcendentales dictos transeo.

Quid sint Oppositio, Ordo, Convenientia, Diversitas, Subjectum, Adjunctum, &c.

CAP. VI.

De Uno, Vero, & Bono.

HI termini ab omnibus ferè Metaphysicis pro generalissimis Entis Affectionibus habentur, dicunt enim omne ens esse unum, verum & bonum, quamvis nemo de iis cogitet. Verum quid de his intelligendum sit, videbimus; ubi seorsim unumquemque horum terminorum examinaverimus.

Incipiamus itaque à primo, scilicet *Uno*. Hunc terminum dicunt significare aliquid reale extra intellectum: verùm, quidnam hoc enti addat, nesciunt explicare, quod satis ostendit, illos entia rationis cum ente reali confundere; quo efficiunt, ut id, quòd clarè intelligunt, confusum reddant. Nos autem dicimus *Unitatem* à re ipsa nullo modo distingui, vel enti nihil addere; sed tantum modum cogitandi esse, quo rem ab aliis separamus, quæ ipsi similes sunt, vel cum ipsa aliquo modo conveniunt.

Quid sit unitas.

Unitati vero opponitur *multitudo*, quæ sanè rebus etiam nihil addit, nec aliquid præter modum cogitandi est, quemadmodum clarè & distinctè intelligimus. Nec video, quid circa rem claram amplius dicendum restat; sed tantum hic notandum

Quid sit multitudo, & quo respectu Deus dici possit unus, & quo respectu unicus.

tandum eſt, Deum, quatenus ab aliis entibus eum ſeparamus, poſſe dici unum, verum, quatenus concipimus ejuſdem naturę plures eſſe non poſſe, unicum vocari. At vero ſi rem accuratius examinare vellemus, poſſemus forte oſtendere Deum non niſi impropriè unum & unicum vocari, ſed res non eſt tanti, imo nullius momenti iis, qui de rebus, non verò de nominibus ſunt ſolliciti. Quare hoc relicto ad ſecundum tranſimus, & eadem opera, quid ſit falſum, dicemus.

Quid ſit verum, quid falſum tam apud vulgum, quam apud Philoſophos.

Ut autem hæc duo *verum* ſcilicet & *falſum* rectè percipiantur, à verborum ſignificatione incipiemus, ex qua apparebit ea, non niſi rerum denominationes extrinſecas, eſſe, neque rebus tribui, niſi rhetoricè. Sed quia vulgus vocabula primum invenit, quæ poſtea à Philoſophis uſurpantur, ideo è re eſſe videtur illius, qui primam ſignificationem alicujus vocabuli quærit, quid primum apud vulgum denotarit, inquirere; præcipuè ubi aliæ cauſæ deficiunt, quæ ex linguæ natura depromi poſſent ad eam inveſtigandam. Prima igitur *veri* & *falſi* ſignificatio, ortum videtur duxiſſe à narrationibus: eaque narratio vera dicta fuiſſe, quæ erat facti, quod revera contigerat: falſa vero, quæ erat facti, quod nullibi contigerat. Atque hanc Philoſophi poſtea uſurparunt ad denotandam convenientiam ideæ cum ſuo ideato, & contra: quare idea vera dicitur illa, quæ nobis oſtendit rem, ut in ſe eſt: falſa verò, quæ nobis oſtendit rem aliter, quàm revera eſt: Ideæ enim nihil aliud ſunt, quam narrationes ſive hiſtoriæ naturæ mentales. Atque hinc poſtea metaphoricè tranſlata eſt, ad res mutas, ut cum dicimus verum, aut falſum aurum, quaſi aurum nobis repræſentatum aliquid de ſeipſo narret, quod in ſe eſt, aut non eſt.

Verum non eſſe terminum tranſcendentalem.

Quocirca planè decepti ſunt, qui *verum* terminum tranſcendentalem ſive entis affectionem judicarunt. Nam de rebus ipſis non niſi improprie, vel ſi mavis rhetorice dici poteſt.

Veritas, & vera idea, quomodo differant.

Si porro quæras, quid ſit veritas præter veram ideam, quære etiam, quid ſit albedo præter corpus album; eodem enim modo ſe habent ad invicem.

De

De cauſa veri, & de cauſa falſi jam antea egimus; quare hic nihil reſtat notandum, nec etiam quæ diximus operæ pretium fuiſſet notare, ſi ſcriptores in ſimilibus nugis non adeo ſe intricaſſent, ut poſtea ſe extricare nequiverint, nodum paſſim in ſcirpo quærentes.

Quænam ſint Proprietates Veritatis? Certitudinem non eſſe in rebus.

Proprietates vero veritatis aut ideæ veræ ſunt. 1°. Quod ſit clara & diſtincta, 2°. Quod omne dubium tollat, ſive uno verbo, quod ſit certa. Qui quærunt certitudinem in rebus ipſis, eodem modo falluntur, ac cum in iis quærunt veritatem; & quamvis dicamus, res in incerto eſt, rhetoricè ſumimus ideatum pro idea, quomodo etiam rem dicimus dubiam; niſi fortè quod tum per incertitudinem contingentiam intelligamus, vel rem, quæ nobis incertitudinem aut dubium injicit. Neque opus eſt circa hæc diutius morari; quare ad tertium pergemus, & ſimul quid per ejus contrarium intelligendum ſit, explicabimus.

Bonum, & malum tantum dici reſpectivè.

Res ſola conſiderata neque *bona* dicitur, neque *mala*, ſed tantum reſpectivè ad aliam, cui conducit ad id, quod amat, acquirendum, vel contrà: ideoque unaquæque res diverſo reſpectu, eodemque tempore bona & mala poteſt dici: Sic conſilium e. g. Achitophelis Abſaloni datum bonum in ſacris Litteris vocatur; peſſimum tamen erat Davidi, cujus interitum moliebatur. Sed multa alia ſunt bona, quæ non omnibus bona ſunt; ſic ſalus bona eſt hominibus, non verò neque bona, neque mala brutis aut plantis, ad quas nullum habet reſpectum. Deus verò dicitur ſummè bonus, quia omnibus conducit; nempe uniuscujuſque eſſe, quo nihil magis amabile, ſuo concurſu conſervando. Malum autem abſolutum nullum datur, ut per ſe eſt manifeſtum.

Quare aliqui bonum Metaphyſicum ſtatuerunt.

Qui autem bonum aliquod Metaphyſicum quæritant, quod omni careat reſpectu, falſo aliquo præjudicio laborant; nempe quòd diſtinctionem rationis cum diſtinctione reali vel modali confundant: diſtinguunt enim inter rem ipſam & conatum, qui in unaquâque re eſt ad ſuum eſſe conſervandum,

quamvis neſciant, quid per conatum intelligant. Hæc enim duo, quamvis ratione ſeu potius verbis diſtinguantur, quod maximè ipſos decepit, nullo modo reipſa inter ſe diſtinguuntur.

Res & conatus, quo res in ſtatu ſuo perſeverare conantur, quomodo diſtinguantur.

Quòd ut clarè intelligatur, exemplum alicujus rei ſimpliciſſimæ ob oculos ponemus. Motus habet vim in ſuo ſtatu perſeverandi; hæc vis profectò nihil aliud eſt, quàm motus ipſe, hoc eſt, quòd natura motus talis ſit. Si enim dicam in hoc corpore A nihil aliud eſſe, quàm certam quantitatem motus, hinc clarè ſequitur, quamdiu ad illud corpus A attendo, me ſemper debere dicere illud corpus moveri. Si enim dicerem, illud ſuam vim movendi ex ſe amittere, neceſſariò ipſi aliquid aliud tribuo præter id, quod in hypotheſi ſuppoſuimus, per quod ſuam naturam amittit. Quod ſi vero hæc ratio obſcurius videatur, age concedamus, illum conatum ſe movendi aliquid eſſe præter ipſas leges, & naturam motus; cum igitur hunc conatum eſſe bonum metaphyſicum ſupponas, neceſſario hic etiam conatus conatum habebit in ſuo eſſe perſeverandi, & hic iterum alium, & ſic in infinitum, quo magis abſurdum neſcio quid fingi poſſit. Ratio autem, cur illi conatum rei à re ipſa diſtinguunt, eſt, quia in ſe ipſis reperiunt deſiderium ſe conſervandi, & tale in unaquaque re imaginantur.

An Deus ante res creatas dici poſſit bonus.

Quæritur tamen, an Deus, antequam res creaſſet, dici poſſet bonus; & ex noſtra definitione videtur ſequi, Deum tale attributum non habuiſſe; quia dicimus rem, ſi in ſe ſola conſideratur, neque bonam, neque malam poſſe dici. Hoc autem multis abſurdum videbitur; ſed qua ratione neſcio; multa enim hujus notæ attributa Deo tribuimus, quæ antequam res crearentur, ipſi non competebant, niſi potentia, ut cum vocatur creator, judex, miſericors &c. quare ſimilia argumenta moram nobis injicere non debent.

Perfectum quomodo dicatur reſpectivè, quomodo abſolutè.

Porro uti bonum, & malum non dicitur niſi reſpectivè, ſic etiam perfectio, niſi quando perfectionem ſumimus pro ipſa rei eſſentia, quo ſenſu antea diximus Deum infinitam perfectio-

ctionem habere, hoc est, infinitam essentiam, seu infinitum esse.

Plura his addere non est animus; reliqua enim quæ ad partem generalem Metaphysices spectant, satis nota esse existimo: adeoque operæ pretium non esse, ea ulterius persequi.

APPENDICIS COGITATA METAPHYSICA CONTINENTIS

PARS II,

In qua præcipua, quæ in parte Metaphysices speciali circa Deum, ejusque Attributa, & Mentem humanam vulgo occurrunt, breviter explicantur.

CAP. I.

De Dei Æternitate.

JAm antea docuimus, in rerum natura præter substantias, earumque modos nihil dari; quare non erit hic exspectandum, ut aliquid de formis substantialibus & realibus accidentibus dicamus: sunt enim hæc, & hujus farinæ alia, planè inepta. *Substantiarum divisio.* Substantias deinde divisimus in duo summa genera, extensionem scilicet & cogitationem, ac cogitationem in creatam, sive Mentem humanam, & increatam sive Deum. Existentiam autem hujus satis superque demonstravimus tum à posteriori, scilicet ex ipsius, quam habemus, ideâ, tum à priori, sive ab ejus essentia, tanquam causa existentiæ Dei. Sed quoniam quædam ejus attributa brevius, quam argumenti dignitas requirit, tractavimus, ipsa hic repetere, eaque fusius explicare, simulque aliquas quæstiones enodare decrevimus.

Deo nullam durationem competere.

Præcipuum attributum, quod ante omnia venit conſiderandum, eſt Dei *Æternitas*, qua ipſius durationem explicamus; vel potius, ut nullam Deo durationem tribuamus, dicimus eum eſſe æternum. Nam, ut in prima Parte notavimus, duratio eſt affectio exiſtentiæ, non vero eſſentiæ rerum; Deo autem, cujus exiſtentia eſt de ipſius eſſentia, nullam durationem tribuere poſſumus. Qui enim Deo illam tribuit, ejus exiſtentiam ab ejus eſſentiâ diſtinguit. Sunt tamen, qui rogant, an Deus nunc non diutius extiterit, quam cum Adamum crearet: idque ipſis ſatis clarum eſſe videtur, adeoque nullo modo Deo durationem adimendam eſſe exiſtimant. Verum hi principium petunt; nam ſupponunt Dei eſſentiam ab ejus exiſtentia diſtingui, quærunt enim an Deus, qui extitit uſque ad Adamum, non plus temporis extiterit ab Adamo creato uſque ad nos; quare Deo ſingulis diebus majorem durationem tribuunt, & quaſi continuò à ſe ipſo ipſum creari ſupponunt. Si enim Dei exiſtentiam, ab illius eſſentiâ non diſtinguerent, nequaquam Deo durationem tribuerent, cum rerum eſſentiis duratio nullo modo competere poſſit: nam nemo unquam dicet circuli, aut trianguli eſſentiam, quatenus eſt æterna veritas, hoc tempore diutius duraſſe, quam tempore Adami. Porro cum duratio major & minor, ſive quaſi partibus conſtans concipiatur, clarè ſequitur, Deo nullam tribui poſſe durationem: nam cum ipſius eſſe ſit æternum, hoc eſt, in quo nihil prius, nec poſterius dari poteſt, nunquam ipſi durationem tribuere poſſumus; quin ſimul, quem de Deo habemus, verum conceptum deſtruamus, hoc eſt, id, quod eſt infinitum ſua natura, & quod nunquam poteſt concipi niſi infinitum, in partes dividamus, ei ſcilicet durationem tribuendo.

Cauſæ, ob quas Authores Deo durationem tribuerunt.

Quod autem Authores errarunt, in cauſa eſt. I°. Quia æternitatem, ad Deum non attendentes, explicare conati ſunt, quaſi æternitas abſque eſſentiæ divinæ contemplatione intelligi poſſet, vel quid eſſet præter divinam eſſentiam, atque

que hoc iterum inde ortum fuit, quia aſſueti ſumus propter defectum verborum æternitatem etiam rebus, quarum eſſentia diſtinguitur ab earum exiſtentia, tribuere, ut cum dicimus, non implicat, mundum ab æterno fuiſſe; atque etiam eſſentiis rerum, quamdiu ipſas non exiſtentes concipimus; eas enim tum æternas vocamus. II°. Quia durationem rebus non tribuebant, niſi quatenus eas ſub continua variatione eſſe judicabant, non, uti nos, prout earum eſſentia ab earum exiſtentia diſtinguitur. III°. Denique quia Dei eſſentiam, ſicuti rerum creatarum, ab ejus exiſtentia diſtinxerunt. Hi, inquam, errores ipſis anſam errandi præbuerunt. Nam primus error in cauſa fuit, ut non intelligerent, quid eſſet æternitas; ſed ipſam tanquam aliquam ſpeciem durationis conſiderarent. Secundus, ut non facilè poſſent invenire differentiam inter durationem rerum creatarum & inter Dei æternitatem. Ultimus denique, ut, cum duratio non ſit, niſi exiſtentiæ affectio, ipſique Dei exiſtentiam ab ejus eſſentia diſtinxerint, Deo, ut jam diximus, durationem tribuerent.

Quid ſit æternitas?

Sed, ut melius intelligatur, quid ſit *Æternitas*, & quomodo ipſa ſine eſſentiâ divinâ non poſſit concipi, conſiderandum venit id, quod jam antea diximus, nempe res creatas, ſive omnia præter Deum ſemper exiſtere ſola vi ſive eſſentia Dei, non vero vi propria; unde ſequitur præſentem exiſtentiam rerum non eſſe cauſam futuræ; ſed tantum Dei immutabilitatem, propter quam cogimur dicere, ubi Deus rem primò creavit, eam poſtea continuò conſervabit, ſeu eandem illam creandi actionem continuabit. Ex quibus concludimus, 1°. Quod res creata, poteſt dici frui exiſtentia, nimirum quia exiſtentia non eſt de ipſius eſſentia: Deus vero non poteſt dici frui exiſtentia, nam exiſtentia Dei eſt Deus ipſe; ſicut etiam ipſius eſſentia; unde ſequitur res creatas durationefrui: Deum autem nullo modo. 2°. Omnes res creatas, dum præſenti duratione & exiſtentia fruuntur, futura omnino carere, nempe quia continuò ipſis tribui debet: at de earum eſſentia nihil

nihil ſimile poteſt dici. Verum Deo, quia exiſtentia eſt de ipſius eſſentia, futuram exiſtentiam tribuere non poſſumus: eadem enim, quam tum haberet, etiamnum ipſi actu tribuenda eſt, vel, ut magis proprie loquar, Deo infinita actu exiſtentia competit eodem modo, ac ipſi actu competit infinitus intellectus. Atque hanc infinitam exiſtentiam *Æternitatem* voco, quæ ſoli Deo tribuenda, non vero ulli reicreatæ; non, inquam, quamvis earum duratio utroque careat fine. Hæc de æternitate; de Dei neceſſitate nihil dico; quia non opus eſt, cum ejus exiſtentiam ex ejus eſſentiâ demonſtravimus. Pergamus itaque ad unitatem.

CAP. II.

De Unitate Dei.

MIrati perſæpe fuimus futilia argumenta, quibus Dei Unitatem aſtruere conantur Authores, qualia ſunt, *Si unus potuit mundum creare, cæteri eſſent fruſtrà, ſi omnia in eundem finem conſpirent, ab uno conditore ſunt producta*, & ſimilia, à relationibus aut denominationibus extrinſecis petita. Quapropter, illis omnibus inſuper habitis, noſtram demonſtrationem, quàm clarè poterimus ac breviter, hic proponemus, idque ſequenti modò.

Deum eſſe unicum. Inter Dei attributa numeravimus etiam ſummam intelligentiam, addidimuſque ipſum omnem ſuam perfectionem à ſe, non verò ab alio habere. Si jam dicas plures dari Deos, ſeu entia ſummè perfecta, neceſſario omnes debebunt eſſe ſummè intelligentes; quod ut fiat, non ſufficit, unumquemque ſe ipſum tantum intelligere: nam cum omnia intelligere debeat unuſquiſque, & ſe & cæteros debebit intelligere: ex quo ſequeretur, quod perfectio uniuscujuſque intellectus partim à ſe ipſo, partim ab alio dependeret. Non poterit igitur quilibet eſſe ens ſummè perfectum, hoc eſt, ut modo notavimus,

ens,

ens, quod omnem ſuam perfectionem à ſe, non verò ab alio habet; cum tamen jam demonſtraverimus Deum ens perfectiſſimum eſſe, ipſumque exiſtere. Unde jam poſſumus concludere, eum unicum tantum exiſtere, ſi enim plures exiſterent, ſequeretur ens perfectiſſimum habere imperfectionem, quod eſt abſurdum. Hæc de Dei Unitate.

CAP. III.

De Immenſitate Dei.

DOcuimus antea, nullum ens poſſe concipi finitum, & imperfectum, id eſt, de nihilo participans, niſi prius ad ens perfectum & infinitum attendamus, hoc eſt, ad Deum; quare ſolus Deus dicendus abſolutè infinitus, nimirum quatenus reperimus ipſum reverâ conſtare infinita perfectione. At immenſus ſive interminabilis etiam poteſt dici, quatenus reſpicimus ad hoc, quod nullum detur ens, quo perfectio Dei terminari poſſit. Ex quo ſequitur, quod Dei *Infinitas*, invito vocabulo, ſit quid maximè poſitivum; nam eatenus ipſum infinitum eſſe dicimus, quatenus ad ejus eſſentiam ſive ſummam perfectionem attendimus. *Immenſitas* vero Deo tantum reſpectivè tribuitur; non enim pertinet ad Deum, quatenus abſolutè tanquam ens perfectiſſimum, ſed quatenus ut prima cauſa conſideratur, quæ quamvis non eſſet perfectiſſima, niſi reſpectu entium ſecundariorum, nihilominus tamen eſſet immenſa; Nam nullum eſſet ens, & per conſequens nullum poſſet ens concipi ipſo perfectius, quo terminari, aut menſurari poſſet.

Quomodo Deus dicatur infinitus, quomodo immenſus?

Vide fuſius de his Ax. 9. part. 1.

Authores tamen paſſim, ubi de Dei *Immenſitate* agunt, videntur Deo quantitatem tribuere. Nam ex hoc attributo concludere volunt, Deum neceſſario ubique præſentem debere eſſe, quaſi vellent dicere, ſi Deus in aliquo non eſſet loco, ejus quantitas eſſet terminata. Quod idem adhuc melius

Quid vulgo per Dei immenſitatem intelligatur.

apparet ex aliâ ratione, quam afferunt ad oſtendendum, Deum eſſe infinitum, ſive immenſum (hæc duo enim inter ſe confundunt) & etiam eſſe ubique. Si Deus, ajunt, actus eſt purus, ut revera eſt, neceſſariò eſt ubique & infinitus; nam ſi non eſſet ubique; aut non poterit eſſe, ubicunque vult eſſe, aut neceſſario (NB) moveri debebit: unde clarè videre eſt, illos *Immenſitatem* Deo tribuere, quatenus ipſum, ut quantum, conſiderant; nam ex extenſionis proprietatibus hęc argumenta ſua petunt ad Dei *Immenſitatem* affirmandam, quo nihil eſt abſurdius:

Deum eſſe ubique probatur.

Si jam quæras, unde ergo nos probabimus, Deum eſſe ubique; reſpondeo, id ſatis ſuperque à nobis jam demonſtratum eſſe, ubi oſtendimus nihil ne momento quidem exiſtere poſſe, quin ſingulis momentis à Deo procreetur.

Omnipræſentia Dei explicari nequit.

Jam vero, ut Dei *ubiquitas* aut *præſentia in ſingulis rebus* debite intelligi poſſet, neceſſario deberet perſpecta eſſe intima natura divinæ voluntatis, qua nimirum res creavit, quaque eas continuo procreat; quod cum humanum captum ſuperet, impoſſibile eſt explicare, quomodo Deus ſit ubique.

Dei Immenſitatem a quibuſdam ſtatui triplicem; ſed male.

Quidam ſtatuunt Dei *Immenſitatem* eſſe triplicem, nempe eſſentiæ, potentiæ, & denique præſentiæ; ſed illi nugas agunt; videntur enim diſtinguere inter Dei eſſentiam & ejus potentiam.

Dei potentiam non diſtingui ab ejus eſſentia.

Quod idem etiam alii magis aperte dixerunt, ubi nempe ajunt, Deum eſſe ubique per potentiam; non autem per eſſentiam: quaſi vero Dei potentia diſtinguatur ab omnibus ejus attributis, ſeu infinita eſſentia: cum tamen nihil aliud eſſe poſſit. Si enim aliud quid eſſet, vel eſſet aliqua creatura, vel aliquid divinæ eſſentiæ accidentale, ſine quo concipi poſſet: quod utrumque abſurdum eſt. Si enim creatura eſſet, indigeret Dei potentia, ut conſervaretur, & ſic daretur progreſſus in infinitum. Si verò accidentale quid, non eſſet Deus ens ſimpliciſſimum, contra id, quod ſuprà demonſtravimus.

Denique per *Immenſitatem* præſentię etiam videtur aliquid velle

velle præter eſſentiam Dei, per quam res creatæ ſunt, & continuo conſervantur. Quæ ſane magna eſt abſurditas, in quam lapſi ſunt ex eo, quod Dei intellectum cum humano confuderunt, ejuſque potentiam cum potentia regum ſæpe comparârunt. *Nec illius Omnipræſentiam.*

CAP. IV.

De Immutabilitate Dei.

PEr *Mutationem* intelligimus hoc loco omnem illam variationem, quæ in aliquo ſubjecto dari poteſt, integra permanente ipſa eſſentia ſubjecti; quamvis vulgò etiam latius ſumatur ad ſignificandam rerum corruptionem, non quidem abſolutam, ſed quæ ſimul includit generationem corruptioni ſubſequentem, ut cum dicimus cæſpites in cineres mutari, homines mutari in beſtias. Verum Philoſophi ad hoc denotandum alio adhuc vocabulo utuntur, nempe *Transformationis*. At nos hic tantum de illa mutatione loquimur, in qua nulla datur ſubjecti transformatio, ut cum dicimus Petrus mutavit colorem, mores &c. *Quid ſit Mutatio, quid Tranſformatio.*

Videndum jam an in Deo tales mutationes habeant locum; nam de *transformatione* nihil dicere opus, poſtquam docuimus Deum neceſſario exiſtere, hoc eſt, Deum non poſſe deſinere eſſe, ſeu in alium Deum transformari; nam tum & eſſe deſineret, & ſimul plures dii dari poſſent, quod utrumque abſurdum eſſe oſtendimus. *In Deo Tranſformationem locum non habere.*

Ut autem, quæ hic dicenda ſuperſunt, diſtinctius intelligantur, venit conſiderandum, quod omnis *mutatio* procedat vel à cauſis externis, volente aut nolente ſubjecto, vel à cauſa interna, & electione ipſius ſubjecti. Ex. grat. hominem nigreſcere, ægrotare, creſcere, & ſimilia procedunt à cauſis externis; illa invito ſubjecto, hoc vero ipſo ſubjecto cupiente; velle autem ambulare, ſe iratum oſtendere &c. proveniunt à cauſis internis. *Quæ ſint Mutationis cauſæ.*

Deum non mutari ab alio.

Priores vero *mutationes*, quæ à cauſis externis procedunt, in Deo nullum habent locum; nam ſolus eſt omnium rerum cauſa, & à nemine patitur. Adde quòd nihil creatum in ſe ullam habeat vim exiſtendi; adeoque multo minus aliquid extra ſe, aut in ſuam cauſam operandi. Et, quamvis in ſacris Litteris ſæpe inveniatur, quod Deus propter peccata hominum iratus & triſtis fuerit, & ſimilia; in iis effectus ſumitur pro cauſa; quemadmodum etiam dicimus, Solem æſtate quam hyeme fortiorem & altiorem eſſe, quamvis neque ſitum mutaverit, neque vires reſumpſerit. Et quod talia etiam in ſacris Litteris ſæpe doceantur videre eſt in Eſaiâ; ait enim cap. 59. v. 2, ubi populum increpat; *pravitates veſtræ vos à veſtro Deo ſeparant.*

Nec etiam a ſe ipſo.

Pergamus itaque, & inquiramus, an in Deo à Deo ipſo ulla detur mutatio. Hanc verò in Deo dari non concedimus, imo ipſam prorſus negamus; nam omnis mutatio, quæ à voluntate dependet, fit ut ſubjectum ſuum in meliorem mutet ſtatum, quod in ente perfectiſſimo locum habere nequit. Deinde etiam talis mutatio non datur, niſi aliquod incommodum evitandi, aut aliquod bonum, quod deeſt, acquirendi gratiâ; quod utrumque in Deo nullum locum habere poteſt. Unde concludimus Deum eſſe ens immutabile.

Nota, me communes mutationis diviſiones hic conſultò omiſiſſe, quamvis aliquo modo ipſas etiam complexi ſumus; nam non opus fuit ipſas ſingulatim à Deo removere, cum propoſ. 16. part. 1. demonſtraverimus, Deum eſſe incorporeum, & communes illæ diviſiones ſolius materiæ mutationes tantum contineant.

CAP. V.

De Simplicitate Dei.

Rerum Diſtinctio triplex Realis, Modalis, Rationis.

PErgamus ad Dei Simplicitatem. Hoc Dei attributum ut rectè intelligatur, in memoriam revocanda ſunt, quæ

Princip.

Princip. Philoſophiæ part. 1. Art. 48. & 49. Carteſius tradidit: nimirum in rerum naturâ nihil præter ſubſtantias & earum modos dari, unde triplex rerum diſtinctio deducitur, Artic. 60. 61. & 62. *Realis* ſcilicet *modalis* & *rationis*. *Realis* vocatur illa, qua duæ ſubſtantiæ inter ſe diſtinguuntur, ſive diverſi, ſive ejuſdem attributi: ut ex. gr. cogitatio, & extenſio, vel partes materiæ. Hæcque ex eo cognoſcitur, quod utraque ſine ope alterius concipi & per conſequens exiſtere poſſit. *Modalis* duplex oſtenditur, nimirum quæ eſt inter modum ſubſtantiæ, & ipſam ſubſtantiam; ac quæ eſt inter duos modos unius ejuſdemque ſubſtantiæ. Atque hanc ex eo cognoſcimus, quod, quamvis uterque modus abſque ope alterius concipiatur, neuter tamen abſque ope ſubſtantiæ, cujus ſunt modi: Illam vero ex eo, quod, quamvis ſubſtantia illa poſſit concipi ſine ſuo modo, modus tamen ſine ſubſtantia concipi nequeat. *Rationis* denique ea eſſe dicitur, quæ oritur inter ſubſtantiam & ſuum attributum; ut cum duratio ab extenſione diſtinguitur. Hæcque etiam ex eo cognoſcitur, quod talis ſubſtantia non poſſit ſine illo attributo intelligi.

Undenam omnis compoſitio oriatur, & quotuplex ſit.

Ex his tribus omnis compoſitio oritur. Prima enim compoſitio eſt, quæ fit ex duabus aut pluribus ſubſtantiis ejuſdem attributi, ut omnis compoſitio, quæ fit ex duobus aut pluribus corporibus; ſive diverſi attributi, ut homo. Secunda fit unione diverſorum modorum. Tertia denique non fit, ſed tantum ratione quaſi fieri concipitur, ut eo facilius res intelligatur. Quæ autem hiſce prioribus duobus modis non componuntur, ſimplicia dicenda ſunt.

Deum eſſe Ens ſimpliciſſimum.

Oſtendendum itaque Deum non eſſe quid compoſitum, ex quo poterimus concludere ipſum eſſe ens ſimpliciſſimum, quod facile effectum dabimus. Cum enim per ſe clarum ſit, quod partes componentes priores ſunt natura ad minimum re compoſita, neceſſario ſubſtantiæ illæ, ex quarum coalitione & unione Deus componitur, ipſo Deo priores erunt natura, & unaquæque per ſe poterit concipi, quamvis Deo non tribuatur.

Deinde, cum illa inter ſe neceſſario realiter diſtinguantur, neceſſario etiam unaquæque per ſe abſque ope aliarum poterit exiſtere; ac ſic, ut modo diximus, tot poſſent dari dii, quot ſunt ſubſtantiæ, ex quibus Deum componi ſupponeretur. Nam cum unaquæque per ſe poſſit exiſtere, à ſe debebit exiſtere; ac proinde etiam vim habebit ſibi dandi omnes perfectiones, quas Deo ineſſe oſtendimus &c. ut jam propoſ. 7. part. 1. ubi exiſtentiam Dei demonſtravimus, fuſe explicuimus. Cum autem hoc nihil abſurdius dici poſſit, concludimus Deum non componi ex coalitione & unione ſubſtantiarum. Quod in Deo etiam nulla detur compoſitio diverſorum modorum ſatis convincitur ex eo, quod in Deo nulli dentur modi: modi enim oriuntur ex alteratione ſubſtantiæ, vide Princ. Part. 1. Art. 56. denique ſi quis velit aliam compoſitionem fingere ex rerum eſſentiâ & earum exiſtentiâ; huic nequaquam repugnamus. At memor ſit nos jam ſatis demonſtraſſe, hæc duo in Deo non diſtingui.

Dei Attributa diſtingui tantum ratione.

Atque hinc jam clarè poſſumus concludere, omnes diſtinctiones, quas inter Dei attributa facimus, non alias eſſe, quam rationis, nec illa reverâ inter ſe diſtingui: intellige tales rationis diſtinctiones, quales modo retuli, nempe quæ ex eo cognoſcuntur, quod talis ſubſtantia non poſſit ſine illo attributo eſſe. Unde concludimus Deum eſſe ens ſimpliciſſimum. Cæterum Peripateticorum diſtinctionum farraginem non curamus, tranſimus igitur ad Dei vitam.

CAP. VI.

De Vita Dei.

Quid vulgò per vitam intelligant Philoſophi.

UT hoc attributum, *Vita* ſcilicet Dei, rectè intelligatur, neceſſe eſt, ut generaliter explicemus, quid in unaquaque re per ejus vitam denotetur. Et 1°. ſententiam Peripateticorum examinabimus. Hi per vitam intelligunt *manſionem altricis animæ cum calore*, vide Ariſt. lib. 1. de Reſpirat. cap. 8. Et quia

quia tres finxerunt animas, vegetativam ſcilicet, ſenſitivam, & intellectivam, quas tantum plantis, brutis & hominibus tribuunt; ſequitur, ut ipſimet fatentur, reliqua vitæ expertia eſſe. At interim dicere non audebant, mentes & Deum vitâ carere. Verebantur fortaſſe, ne in ejus contrarium incide-rent, nempe ſi vitâ careant, mortem eos obiiſſe. Quare Ariſtoteles Metaph. lib. 11. cap. 7. adhuc aliam definitionem vitæ tradit, mentibus tantum peculiarem; nempe *Intellectus operatio vita eſt*; & hoc ſenſu Deo, qui ſcilicet intelligit, & actus purus eſt, vitam tribuit. Verum in his refutandis non multum defatigabimur; nam quod ad illas tres animas, quas plantis brutis & hominibus tribuunt, attinet, jam ſatis demonſtravimus, illas non eſſe niſi figmenta; nempe quia oſtendimus in materia nihil præter mechanicas texturas & operationes dari. Quod autem ad vitam Dei attinet, neſcio cur magis actio intellectus apud ipſum vocetur, quam actio voluntatis, & ſimilium. Verum, quia nullam ejus reſponſionem exſpecto, ad id, quod promiſimus, explicandum tranſeo, nempe quid vita ſit.

Quibus rebus vita tribui poſſit.

Et quamvis hæc vox per tranſlationem ſæpe ſumatur ad ſignificandum mores alicujus hominis; nos tamen ſolum, quid philoſophice eâ denotetur, breviter explicabimus. Notandum autem eſt, quod ſi vita rebus etiam corporeis tribuenda ſit, nihil erit vitæ expers; ſi vero tantum iis, quibus anima unita eſt corpori, ſolummodo hominibus, & fortè etiam brutis tribuenda erit; non vero mentibus, nec Deo. Verum cum vocabulum vitæ communiter latius ſe extendat, non dubium eſt, quin etiam rebus corporeis, mentibus non unitis, & mentibus à corpore ſeparatis tribuendum ſit.

Quid ſit vita, & quid ſit in Deo.

Quare nos per *vitam* intelligimus *vim, per quam res in ſuo eſſe perſeverant*. Et quia illa vis à rebus ipſis eſt diverſa; resipſas habere vitam proprie dicimus. Vis autem, quâ Deus in ſuo eſſe perſeverat; nihil eſt præter ejus eſſentiam, unde optime loquuntur, qui Deum vitam vocant. Nec deſunt Theologi qui

qui ſentiunt, Judæos hac de cauſa, nempe quod Deus ſit vita, & à vita non diſtinguatur, cum jurabant, dixiſſe, חַי יְהוָה *vivus Jehova*; non vero חֵי יְהוָה *vita Jehovæ*, ut Joſeph cum per vitam Pharaonis jurabat, dicebat חֵי פַּרְעֹה *vita Pharaonis*.

CAP. VII.

De Intellectu Dei.

Deum eſſe omniſcium.

INter attributa Dei numeravimus antea *Omniſcientiam*, quam ſatis conſtat Deo competere; quia ſcientia continet in ſe perfectionem, & Deus, ens nempe perfectiſſimum, nulla perfectione carere debet: quare ſcientia ſummo gradu Deo erit tribuenda, ſcilicet talis, quæ nullam præſupponat vel ſupponat ignorantiam, ſive ſcientiæ privationem: nam tum daretur imperfectio in ipſo attributo, ſive in Deo. Ex his ſequitur Deum nunquam habuiſſe intellectum potentiâ, neque per ratiocinium aliquid concludere.

Objectum ſcientiæ Dei non eſſe res extra Deum.

Porro ex perfectione Dei etiam ſequitur ejus ideas non terminari, ſicuti noſtræ, ab objectis extra Deum poſitis. Sed contra res, extra Deum à Deo creatæ, à Dei intellectu determinantur*; nam aliàs objecta per ſe ſuam haberent naturam & eſſentiam, & priores eſſent, ſaltem natura, divino intellectu, quod abſurdum eſt. Et quia hoc à quibuſdam non ſatis obſervatum fuit, in enormes errores inciderunt. Statuerunt nimirum aliqui, dari extra Deum materiam, ipſi coæternam, à ſe exiſtentem, quam Deus intelligens ſecundum aliquos in ordinem tantum redegit, ſecundum alios formas ipſi inſuper impreſſit. Alii deinde res ex ſuâ naturâ vel neceſſarias, vel impoſſibiles, vel contingentes eſſe ſtatuerunt, ideoque Deum has etiam ut contingentes noſcere, & prorſus ignorare, an exiſtent, vel non. Alii denique dixerunt, Deum contingentia noſcere ex circumſtantiis, fortè quia longam habuit experien-

*Hinc clarè ſequitur intellectum Dei, quo res creatas intelligit & ejus voluntatem & potentiam, qua ipſas determinavit, unum & idem eſſe.

rientiam. Præter hos adhuc alios hujuſmodi errores hic adferre poſſem, niſi id ſupervacaneum judicarem; cum ex antedictis eorum falſitas ſponte ſe patefaciat.

Revertamur itaque ad noſtrum propoſitum, nempe quod extra Deum nullum detur objectum ipſius ſcientiæ; ſed ipſe ſit ſcientiæ ſuæ objectum, imò ſua ſcientia. Qui autem putant, mundum etiam objectum Dei ſcientiæ eſſe, longè minus ſapiunt, quàm qui ædificium, ab aliquo inſigni Architecto factum, objectum ſcientiæ illius ſtatui volunt: nam faber adhuc extra ſe materiam idoneam quærere cogitur: At Deus nullam extra ſe materiam quæſivit; ſed res quoad eſſentiam & exiſtentiam ab ejus intellectu ſive voluntate fabricatæ ſuerunt. *Sed Deum ipſum.*

Quæritur jam, an Deus noſcat mala, ſive peccata, & entia rationis, & alia ſimilia. Reſpondemus, Deum illa, quorum eſt cauſa, neceſſario debere intelligere; præſertim cum ne momento quidem poſſint exiſtere, niſi concurrente concurſu divino. Cum ergo mala & peccata in rebus nihil ſint, ſed tantum in mente humanâ, res inter ſe comparante; ſequitur Deum ipſa extra mentes humanas non cognoſcere. Entia rationis modos eſſe cogitandi diximus, & hac ratione à Deo intelligi debent, hoc eſt, quatenus percipimus, illum mentem humanam, utut conſtituta eſt, conſervare & procreare; non verò quod Deus tales modos cogitandi habeat in ſe, ut ea, quæ intelligit, facilius retineat. Atque ad hæc pauca, quæ diximus, ſi modo rectè attendatur; nihil circa Dei intellectum proponi poterit, quòd facillimo negotio non ſolvi queat. *Quomodo Deus noſcat peccata, & entia rationis, &c.*

Sed interim non prætereundus error quorundam, qui ſtatuunt Deum nihil præter res æternas cognoſcere, ut nempe angelos, & cœlos, quos ſuâ naturâ ingenerabiles & incorruptibiles finxerunt; hujus autem mundi nihil, præter ſpecies, utpote etiam ingenerabiles & incorruptibiles. Hi ſanè videntur, quaſi ſtudio errare velle, & abſurdiſſima excogitare. Quid enim magis abſurdum, quam Dei cognitionem à ſingularibus, quæ ſine Dei concurſu ne per momentum quidem *Quomodo ſingularia, & quomodo univerſalia.*

esse possunt, arcere. Deinde res realiter existentes Deum ignorare statuunt, universalium autem, quæ non sunt, nec ullam habent præter singularium essentiam, cognitionem Deo affingunt. Nos autem contra Deo singularium cognitionem tribuimus, universalium denegamus, nisi quatenus mentes humanas intelligit.

In Deo tantum unum esse & simplicem ideam.

Denique, antequam huic argumento finem imponamus, satisfaciendum videtur quæstioni, qua quæritur an in Deo plures sint ideæ, an tantum una & simplicissima. Ad hanc respondeo, quòd idea Dei, per quam omniscius vocatur, unica & simplicissima est. Nam revera Deus nullâ aliâ ratione vocatur omniscius, nisi quia habet ideam sui ipsius, quæ idea sive cognitio simul semper cum Deo exstitit; nihil enim est præter ejus essentiam, nec illa alio modo potuit esse.

Quæ sit Dei scientia circa res creatas.

At cognitio Dei circa res creatas non adeò propriè ad scientiam Dei referri potest; nam si Deus voluisset, aliam res creatæ habuissent essentiam, quod nullum obtinet locum in cognitione, quam Deus de se ipso habet. Quæretur tamen, an illa propriè vel impropriè dicta rerum creatarum cognitio sit multiplex, an unica. Verum, ut respondeamus, hæc quæstio nihil differt ab illis, quibus quæritur, an Dei decreta & volitiones sint plures, vel non; & an Dei ubiquitas, sive concursus, quo res singulares conservat, sit idem in omnibus; de quibus jam diximus nos nullam distinctam cognitionem habere posse. Attamen evidentissimè scimus, eodem modo, ac Dei concursus, si ad Dei omnipotentiam referatur, unicus esse debet, quamvis in effectis diversimodè patefiat: sic etiam Dei volitiones & decreta (sic enim vocare libet ejus cognitionem circa res creatas) in Deo considerata non esse plura, quamvis per res creatas, vel meliùs in rebus creatis diversimode expressa sint. Denique si ad analogiam totius naturæ attendimus, ipsam, ut unum ens, considerare possumus, & per consequens una tantum erit Dei idea sive decretum de natura naturata.

CAP

CAP. VIII.

De Voluntate Dei.

Quomodo Dei Essentia, & intellectus, quo se intelligit, & voluntas, qua se amat, distinguantur, nos nescire.

VOluntas Dei, quâ se vult amare, necessariò sequitur ex infinito ejus intellectu, quo se intelligit. Quomodo autem hæc tria inter sese distinguantur, ejus scilicet essentia, intellectus, quo se intelligit, & voluntas, qua se amare vult, inter desiderata reponimus. Nec fugit nos vocabulum (*personalitatis* scilicet), quod Theologi passim usurpant ad rem explicandam: verum, quamvis vocabulum non ignoremus, ejus tamen significationem ignoramus, nec ullum clarum & distinctum conceptum illius formare possumus; quamvis constanter credamus in visione Dei beatissima, quæ fidelibus promittitur, Deum hoc suis revelaturum.

Voluntatem & Potentiam Dei, quoad extra, non distingui ab ejus intellectu.

Voluntas & *Potentia* quoad extra non distinguuntur à Dei intellectu, ut jam satis ex antecedentibus constat; nam, ostendimus Deum non tantum decrevisse res exstituras; sed etiam tali natura exstituras, hoc est, earum essentiam & earum existentiam à Dei voluntate & potentiâ pendere debuisse: ex quibus clarè & distinctè percipimus, intellectum Dei, ejusque potentiam, & voluntatem, qua res creatas creavit, intellexit, & conservat, sive amat, nullo modo inter se distingui, sed tantum respectu nostræ cogitationis.

Deum improprie quædam odio habere, quædam amare.

Cum autem dicimus, Deum quædam odio habere, quædam amare; hæc eodem sensu dicuntur, quo Scriptura habet, terram homines evomituram, & id genus alia. Quod autem Deus nemini sit iratus, nec res tali modo amat, quali vulgus sibi persuadet, satis ex ipsa Scriptura colligere est: ait enim Esaias, & clarius Apost. cap. 9. ad Roman. *Nondum enim natis* (filiis nempe Isaci), *cum neque boni quippiam feciſſent, neque mali, ut ſecundum electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt illi, quod major ſerviturus eſſet minori, &c.* Et paulo post, *Itaque cujus vult, miſeretur,*

tur, quem autem vult, indurat. Dices ergo mihi, quid adhuc conqueritur: nam voluntati illius quis reſtitit? vere, ô homo, tu quis es, qui ex adverſo reſpondes Deo: num dicet figmentum ei, qui finxit, cur me finxiſti hoc pacto? an non habet poteſtatem figulus luti, ut ex eadem maſſa faciat aliud quoddam vas in honorem, aliud in ignominiam? &c.

Cur Deus homines monet, cur non ſalvat abſque monitione: & cur impii puniantur.

Si jam quæras, cur ergo Deus homines monet. Ad hoc facile reſpondetur, ſcilicet Deum ideo ab æterno decreviſſe illo tempore homines monere, ut illi converterentur, quos voluit ſalvos. Si porro quæris, an Deus non potuerat illos ſalvare ſine illa monitione. Reſpondemus, potuiſſet. Cur ergo non ſalvat, forſan iterum quæres. Ad hoc reſpondebo, poſtquam mihi dixeris, cur Deus mare rubrum ſine vento orientali vehementi non pervium reddidit, & omnes motus ſingulares ſine aliis non perficiat, aliaque infinita, quæ Deus agit mediantibus cauſis. Rogabis denuo, cur igitur impii puniuntur; ſua enim natura agunt & ſecundum decretum divinum. At reſpondeo, etiam ex decreto divino eſſe, ut puniantur; & ſi tantum illi, quos non niſi ex libertate fingimus peccare, eſſent puniendi, cur homines ſerpentes venenoſos exterminare conantur; ex natura enim propria tantum peccant, nec aliud poſſunt.

Scripturam nihil docere, quod lumini naturæ repugnet.

Denique ſi quæ adhuc alia occurrunt in Sacris Scripturis, quæ ſcrupulum injiciant, non eſt hujus loci illa explicare; nam hic tantum in ea inquirimus, quæ ratione naturali certiſſimè aſſequi poſſumus, & ſatis eſt, nos illa evidenter demonſtrare, ut ſciamus Sacram paginam eadem etiam docere debere; nam veritas veritati non repugnat, nec Scriptura nugas, quales vulgo fingunt, docere poteſt. Si enim in ipſa inveniremus aliquid, quod lumini naturali eſſet contrarium, eadem libertate, qua Alcoranum, & Thalmud refellimus, illam refellere poſſemus. Sed abſit cogitare, quod in ſacris Literis aliquid reperiri poſſit, quod lumini naturæ repugnet.

CAP.

CAP. IX.

De Potentiâ Dei.

QUod Deus ſit omnipotens, jam ſatis demonſtratum eſt. Hic tantum breviter explicare conabimur, quomodo hoc attributum intelligendum ſit; nam multi non ſatis piè, nec ſecundum veritatem de eo loquuntur. Ajunt enim res quaſdam ſua natura & non ex decreto Dei eſſe poſſibiles, quaſdam impoſſibiles, & denique quaſdam neceſſarias, Deique omnipotentiam tantùm circa poſſibilia locum habere. Nos verò, qui jam oſtendimus omnia à decreto Dei abſolutè dependere, dicimus Deum eſſe omnipotentem: at poſtquam intelleximus, eum quædam decreviſſe ex mera libertate ſuæ voluntatis, ac deinde eum eſſe immutabilem; dicimus jam, contra ſua decreta nihil agere poſſe; ideoque eſſe impoſſibile ex eo ſolo, quod pugnet cum perfectione Dei. *Quomodo Omnipotentia Dei intelligenda ſit.*

Sed forte quis arguet, nos non invenire quædam neceſſaria eſſe, niſi ad Dei decretum attendentes, quædam vero econtra ad Dei decretum non attendentes, ex. gr. quod Joſias oſſa idololatrarum ſuper ara Jeroboami combureret; nam ſi tantum ad voluntatem Joſiæ attendamus, rem ut poſſibilem judicabimus, nec ullo modo neceſſariò futuram dicemus, niſi ex eo, quod Propheta ex decreto Dei hoc prædixerat: At, quòd tres anguli trianguli æquales debeant eſſe duobus rectis, ipſa res indicat. Sed ſanè hi ex ſua ignorantia diſtinctiones in rebus fingunt. Nam ſi homines clarè totum ordinem naturæ intelligerent, omnia æque neceſſaria reperirent, ac omnia illa, quæ in Matheſi tractantur; ſed quia hoc ſupra humanam cognitionem eſt, ideo à nobis quædam poſſibilia, non vero neceſſaria judicantur. Quocirca vel dicendum, quod Deus nihil poteſt, quoniam omnia reverà neceſſaria ſunt, vel Deum omnia poſſe, & neceſſitatem, quam in rebus reperimus, à ſolo Dei decreto proveniſſe. *Omnia eſſe neceſſaria reſpectu decreti Dei, non autem quædam in ſe; quædam reſpectu decreti.*

Quod ſi Deus aliam feciſſet rerum naturam, etiam nobis alium debuiſſet dare intellectum.

Si jam quæratur, quid, ſi Deus res aliter decreviſſet, & illa, quę jam vera ſunt, falſa eſſe feciſſet, an non illa tamen pro veriſſimis agnoſceremus. Imo profecto, ſi Deus nobis naturam, quam dedit, reliquiſſet: ſed etiam tum potuiſſet, ſi voluiſſet, nobis dare talem naturam, utijam fecit, quâ rerum naturam & leges, prout à Deo ſancitæ eſſent, intelligeremus: imò ſi ad ipſius veracitatem attendamus, dare debuiſſet. Quod idem etiam patet ex eo, quod ſupra diximus, nimirum quod tota natura naturata non ſit niſi unicum ens: unde ſequitur hominem partem eſſe naturæ, quæ cum cęteris cohærere debet; quare ex ſimplicitate decreti Dei etiam ſequeretur, quod ſi Deus res alio modo creaſſet, ſimul etiam noſtram naturam ita conſtituiſſet, ut res, prout à Deo creatæ eſſent, intelligeremus. Unde nos, quamvis eandem diſtinctionem potentiæ Dei, quam vulgo tradunt Philoſophi retinere cupiamus; ipſam tamen aliter explicare cogimur.

Quotuplex ſit Potentia Dei.

Dividimus itaque *potentiam Dei* in *ordinatam* & *abſolutam*.

Quid abſoluta, quid ordinata, quid ordinaria, quid extraordinaria.

Abſolutam potentiam Dei eſſe dicimus, cum ejus omnipotentiam ad ejus decreta non attendentes conſideramus; *ordinatam* vero, cum reſpicimus ad ejus decreta.

Porro datur potentia *ordinaria* & *extraordinaria* Dei. *Ordinaria* eſt, quâ mundum certo ordine conſervat; *extraordinaria*, cum aliquid agit præter naturæ ordinem, ut ex. gr. omnia miracula, qualia ſunt locutio aſinæ, aparitio angelorum & ſimilia: quamvis de hac poſtrema non immeritò valdè dubitari poſſet; cum majus videatur eſſe miraculum, ſi Deus mundum ſemper uno eodemque certo atque immutabili ordine gubernaret, quam ſi leges, quas ipſe in natura optime & ex mera libertate ſancivit, (quod à nemine niſi penitus occæcato inficias iri poteſt) propter ſtultitiam hominum abrogaret. Verum hoc decernere Theologis relinquimus.

Denique quæſtiones alias, quæ circa potentiam Dei communiter adferri ſolent, nimirum, *utrum ad præterita extendatur Dei potentia; an poſſit meliora facere ea, quæ facit; num poſſit plura*

plura alia facere, quam fecit, omittimus, facillime enim ex antedictis ad eas reſponderi poteſt.

CAP. X.

De Creatione.

DEum omnium rerum creatorem jam antea ſtatuimus: hic jam conabimur explicare, quid per creationem intelligendum ſit: deinde ea, quæ circa creationem communiter proponuntur, pro viribus enucleabimus. A primo itaque incipiamus.

Dicimus igitur *creationem* eſſe *operationem, in qua nullæ cauſæ præter efficientem concurrunt*, ſive *res creata eſt illa, quæ ad exiſtendum nihil præter Deum præſupponit.* *Quid ſit Creatio.*

Ubi notandum venit, 1o. nos illa verba omittere, quæ communiter Philoſophi uſurpant, nempe *ex nihilo*, quaſi nihil fuiſſet materia, ex quâ res producebantur. Quod autem ſic loquantur inde eſt, quod, cùm ſoleant, ubi res generantur, aliquid ante ipſas ſupponere, ex quo fiant, in creatione illam particulam *ex* non potuerunt omittere. Idem ipſis contigit circa materiam, nempe, quia vident omnia corpora in loco eſſe, & ab aliis corporibus cingi, ideo ſibi quærentibus, ubi integra eſſet materia, reſponderunt, in aliquo ſpatio imaginario. Unde non dubium eſt, quin illi *nihil* non ut negationem omnis realitatis conſideraverint, ſed aliquid reale eſſe finxerint, aut imaginati fuerint. *Creationis vulgaris Definitio rejicitur.*

2°. Quod dico, in creatione nullas alias cauſas concurrere præter efficientem. Potueram quidem dicere, creationem omnes cauſas præter efficientem *negare* ſive *ſecludere:* Attamen malui *concurrere*, ne cogerer reſpondere iis, qui quærunt, an Deus nullum finem ſibi præfixit in creatione, propter quem res creavit. Præterea, ut rem melius explicarem, ſecundam addidi definitionem, ſcilicet rem creatam nihil præſupponere præter Deum; quia nempe ſi Deus aliquem finem ſibi præ- *Propria explicatur.*

præfixit, ille ſane non fuit extra Deum, nihil enim extra Deum datur, à quo ipſe incitetur ad agendum.

Accidentia & modos non creari.

3°. Ex hac definitione ſatis ſequi, accidentium & modorum nullam dari creationem; præſupponunt enim præter Deum ſubſtantiam creatam.

Nullum fuiſſe tempus aut durationem ante creationem.

4°. Denique ante creationem nullum nos poſſe imaginari tempus, neque durationem; ſed hæc cum rebus incepiſſe. Tempus enim menſura eſt durationis, ſive potius nihil eſt præter modum cogitandi. Quare non tantum præſupponit quamcumque rem creatam, ſed præcipuè homines cogitantes. Duratio autem deſinit, ubi res creatæ deſinunt eſſe, & incipit, ubi res creatæ exiſtere incipiunt; *res creatæ* inquam, nam Deo nullam competere, ſed tantum æternitatem, jam ſupra ſatis evidenter oſtendimus. Quare duratio res creatas præſupponit, aut ad minimum ſupponit. Qui autem durationem & tempus ante res creatas imaginantur, eodem præjudicio laborant ac illi, qui extra materiam ſpatium fingunt, ut per ſe ſatis eſt manifeſtum. Hæc de creationis definitione.

Eandem eſſe Dei operationem mundi creandi, quam conſervandi.

Porro non eſt opus, ut hic iterum repetamus id, quod Ax. 10. part. 1. demonſtravimus; nimirum tantundem virium requiri ad rem creandam, quam ad ipſam conſervandam, hoc eſt, eandem eſſe Dei operationem mundi creandi, quam conſervandi.

His ſic notatis pergamus jam ad id, quod ſecundo loco promiſimus. 1°. Igitur inquirendum, quid creatum eſt, quid increatum. 2°. An id quod creatum eſt, potuerit ab æterno creari.

Quænam ſint creata.

Ad primum igitur, breviter reſpondemus, id omne creatum eſſe, cujus eſſentia clarè concipitur ſine ulla exiſtentiâ, & tamen per ſe concipitur, ut ex. gr. materia, cujus conceptum clarum & diſtinctum habemus, cum illam ſub attributo extenſionis concipimus, eamque æque clarè & diſtinctè concipimus, ſive exiſtat, ſive non exiſtat.

At

At quis fortaſſe dicet, nos cogitationem clarè & diſtinctè percipere ſine exiſtentiâ, eamque tamen Deo tribuere; Sed ad hoc Reſp. nos non talem cogitationem Deo tribuere, qualis noſtra eſt; patibilem ſcilicet, & quæ à rerum natura terminatur; ſed talem, quæ purus actus eſt, ideoque exiſtentiam involvens, ut ſatis prolixe ſupra demonſtravimus. Oſtendimus enim Dei intellectum & voluntatem ab ipſius potentiâ & eſſentiâ, quæ exiſtentiam involvit, non diſtingui. *Quomodo Dei cogitatio a noſtra differat.*

Cum itaque omne id, cujus eſſentia nullam involvit exiſtentiam, neceſſariò, ut exiſtat, à Deo creari debeat, & continuo, ut ſupra multis expoſuimus, ab ipſo creatore conſervari, in eorum ſententiâ refutandâ non morabimur, qui mundum, aut chaos, aut materiam ab omni formâ nudatam coæternam Deo, adeoque independentem ſtatuerunt; Quare ad ſecundam partem pergendum, inquirendumque, an id, quod creatum eſt, ab æterno creari potuerat? *Non eſſe quid extra Deum Deo coæternum.*

Hoc ut rectè intelligatur, attendendum eſt ad hunc loquendi modum, *ab æterno*; eo enim nos aliud prorſus hoc loco ſignificare volumus, quam id, quod antehac explicuimus, ubi de Dei æternitate locuti ſumus. Nam hic nihil aliud intelligimus, quàm durationem abſque principio durationis, vel talem durationem, quam, quamvis eam per multos annos aut myriadas annorum multiplicare vellemus, atque hoc productum iterum per myriadas, nunquam tamen ullo numero, quantumvis magno, exprimere poſſemus. *Quid hic vocibus, ab æterno, denotetur.*

Talem autem durationem non poſſe dari, clarè demonſtratur. Nam ſi mundus iterum ab hoc puncto retrograderetur, nunquam talem durationem habere poterit: ergo etiam mundus à tali principio uſque ad hoc punctum pervenire non potuiſſet. Dices fortè Deo nihil eſſe impoſſibile; eſt enim omnipotens, adeoque poterit efficere durationem, quâ major non poſſet dari. Reſpondemus, Deum, quia eſt omnipotens, nunquam durationem creaturum, qua major ab ipſo creari non poſſit. Talis enim eſt natura durationis, ut ſemper ma- *Non potuiſſe aliquid ab æterno creari, probatur.*

jor & minor datâ poſſit concipi, ſicuti numerus. Inſtabis fortè, Deum ab æterno fuiſſe, adeoque uſque in hoc tempus duraſſe, ac ſic durationem dari, quâ major concipi nequit. Verùm hoc modo tribuitur Deo duratio partibus conſtans, quod à nobis ſatis ſuperque refutatum eſt, ubi Deo non durationem, ſed æternitatem competere demonſtravimus; quod utinam homines probè conſideraſſent: nam & ex multis argumentis & abſurditatibus facillimè ſe extricare potuiſſent, & maximâ cum delectatione in beatiſſimâ hujus entis contemplatione detenti fuiſſent.

Verumenimvero pergamus ad argumentorum, quæ à quibuſdam adferuntur, reſponſionem, nempe quibus conantur oſtendere poſſibilitatem talis infinitæ durationis à parte ante.

Ex eo, quod Deus ſit æternus, non ſequi illius effectus etiam eſſe poſſe ab æterno.

Primò igitur afferunt, *rem productam poſſe ſimul tempore eſſe cum cauſa; cum autem Deus fuerit ab æterno, potuerunt etiam ejus effectus ab æterno fuiſſe producti.* Atque hoc inſuper confirmant *exemplo filii Dei, qui ab æterno à patre productus eſt.* Verum ex antedictis clarè videre eſt, hos *æternitatem* cum duratione confundere, Deoque durationem tantum ab æterno tribuere: quod etiam clarè apparet exemplo, quod adferunt. Nam eandem æternitatem, quam Dei filio tribuunt, creaturis poſſibilem eſſe ſtatuunt. Deinde tempus & durationem ante mundum conditum imaginantur, & durationem abſque rebus creatis ſtatuere volunt, ſicuti alii æternitatem extra Deum, quod utrumque à vero alieniſſimum eſſe jam conſtat. Reſpondemus itaque falliſſimum eſſe, Deum ſuam æternitatem creaturis communicare poſſe, nec filium Dei creaturam eſſe: ſed, uti patrem, æternum eſſe. Cum itaque dicimus patrem filium ab æterno genuiſſe, nihil aliud volumus, quam patrem ſuam æternitatem filio ſemper communicaſſe.

Deum, ſi neceſſario ageret, non eſſe infinitæ virtutis.

Argumentantur 2°. *quod Deus, cum liberè agat, non minoris ſit potentiæ, quam cum agit neceſſariò: At ſi Deus neceſſariò ageret, cum ſit infinitæ virtutis, mundum ab æterno creare debuiſſet.* Sed ad hoc argumentum etiam perfacilè reſponderi poteſt,

ſi at-

ſi attendatur ad ejus fundamentum. Boni enim iſti viri ſupponunt, ſe diverſas ideas entis infinitæ virtutis poſſe habere; nam Deum, & cum ex neceſſitate naturæ agit, & cum libere agit, infinitæ virtutis eſſe concipiunt. Nos verò negamus Deum, ſi ex neceſſitate naturæ ageret, infinitæ eſſe virtutis, quod nobis jam negare licet, imò neceſſario ab iis etiam concedendum eſt; poſtquam demonſtravimus ens perfectiſſimum liberè agere, & non niſi unicum poſſe concipi. Quod ſi verò regerant, poni tamen poſſe, quamvis id impoſſibile ſit, Deum ex neceſſitate naturæ agentem infinitæ eſſe virtutis: Reſpondebimus id non magis licere ſupponere, quam circulum quadratum, ut concludatur omnes lineas a centro ad circumferentiam ductas non eſſe æquales. Atque hoc ex modo dictis, ne, quæ jam dudum dicta ſunt, repetamus, ſatis conſtat. Modo enim demonſtravimus, nullam dari durationem, cujus duplum, ſive qua major & minor non poſſit concipi; ac proinde a Deo, qui infinitâ virtute libere agit, ſemper major & minor datâ creari poſſit. At ſi Deus ex neceſſitate naturæ ageret, nullo modo id ſequeretur; nam tantum illa, quæ ex ejus naturâ reſultaret, ab ipſo produci poſſet, non vero infinitæ aliæ majores datâ. Quare ſic breviter argumentamur; Si Deus maximam durationem, quâ majorem ipſe non poſſet creare, crearet, neceſſariò ſuam potentiam diminueret. Atqui falſum eſt poſterius, nam ejus potentia ab ipſius eſſentia non differt. Ergo &c. Porro, ſi Deus ex neceſſitate naturæ ageret, durationem, qua majorem ipſe creare non poteſt, creare deberet: ſed Deus talem durationem creans non eſt infinitæ virtutis; nam ſemper datâ majorem concipere poſſumus. Ergo ſi Deus ex neceſſitate naturæ ageret, non eſſet infinitæ virtutis.

Quod ſi cui hic ſcrupulus oriretur, undenam nempe, cum mundus ante quinque millia annorum, & quod excedit, ſi vera eſt Chronologorum computatio, creatus fuerit, nos tamen poſſimus majorem concipere durationem, quam aſſeruimus non ſine creatis rebus intelligi poſſe. Illi facil-

Unde habeamus conceptum majoris durationis, quam eſt hujus mundi.

facillimè iſte eximetur, ſi advertat, nos illam durationem non ex ſolâ contemplatione creatarum rerum, ſed ex contemplatione infinitæ Dei potentiæ ad creandum intelligere: Non enim creaturæ concipi poſſunt, ut per ſe exiſtentes, ſive durantes, ſed tanquam per infinitam Dei potentiam, à quâ ſola omnem ſuam durationem habent. Vid. propoſ. 12. part. 1. ejuſque corollar.

Denique ne hic futilibus argumentis reſpondendo tempus conſumamus, tantum hæc animadvertenda ſunt: nempe diſtinctio inter æternitatem & durationem, & quod duratio ſine rebus creatis, & æternitas ſine Deo nullo modo ſint intelligibiles: his enim probe perceptis facillimè ad omnia argumenta reſponderi poterit: unde his diutius immorari non neceſſe arbitramur.

CAP. XI.

De Concurſu Dei.

CIrca hoc attributum parum aut nihil dicendum reſtat, poſtquam oſtendimus Deum ſingulis momentis continuo rem quaſi de novo creare; ex quo demonſtravimus, res ex ſe nullam unquam habere potentiam ad aliquid operandum, nec ſe ad ullam actionem determinandas; hocque non tantum habere locum in rebus extra hominem; ſed etiam in ipſâ humanâ voluntate. Deinde etiam ad quædam argumenta huc ſpectantia reſpondimus, & quamvis alia multa adferri ſolent, quia tamen præcipue ad Theologiam pertinent, iis hic ſuperſedere animus eſt.

Attamen quia multi ſunt, qui concurſum Dei admittunt, ſtatuuntque plane alio ſenſu, quàm quo nos eum tradidimus; obſervandum hic eſt, ut eorum fallaciam facillimè detegamus, id, quod antehac demonſtravimus, nimirum quod tempus præſens nullam habeat connexionem cum tempore futuro, vide ax. 10. part. 1. hocque à nobis clarè diſtinc-

ctequepercipiatur; atque ad hoc ſi modo probe attendatur, ſine ullâ difficultate ad omnia illorum argumenta, quæ ex Philoſophiâ peti poſſunt, reſponderi poterit.

Quomodo Deo Conſervatio ſe habeat in rebus determinandis ad operandum.

Verum, ne quæſtionem hanc fruſtra attigerimus; ad eam in tranſitu reſpondebimus, qua quæritur; *an Dei conſervationi aliquid accedat, cum rem determinat ad operandum*, atque ubi de motu locuti ſumus, jam hujus reſponſionem utcunque attigimus. Diximus enim Deum eandem quantitatem motus in naturâ conſervare. Quare ſi ad totam naturam materiæ attendamus, illi nihil novi accedit; At reſpectu rerum particularium aliquo modo poteſt dici illi aliquid novi accedere: Quod an etiam locum habeat in rebus ſpiritualibus, non videtur: nam illa ab invicem ita dependere non apparet. Denique cum partes durationis nullam habeant inter ſe connexionem, poſſumus dicere, Deum non adeo propriè res conſervare, quam procreare; quare, ſi homo jam determinatam libertatem habeat ad aliquid agendum, dicendum eſt, Deum illo tempore eum ita creaſſe. Atque huic non obſtat, quod humana voluntas ſæpe a rebus extra ſe poſitis determinetur, & omnia viciſſim, quæ in naturâ ſunt, à ſe invicem ad aliquid operandum determinentur: nam etiam illa a Deo ita determinata ſunt. Nulla enim res voluntatem determinare; nec viciſſim voluntas determinari, niſi a ſolâ potentiâ Dei poteſt. Verum quomodo hoc cum humanâ libertate non pugnet, ſive quomodo Deus id efficere poſſit ſervatâ humanâ libertate, fatemur nos ignorare, quâ de re jam ſæpius locuti ſumus.

Diviſionem attributorum Dei vulgarem magis eſſe nominis, quam rei.

Hæc ſunt, quæ circa attributa Dei dicere decreveram, quorum nullam huc uſque tradidi diviſionem. Illa autem, quæ paſſim traditur ab Authoribus; nempe qua dividunt attributa Dei in incommunicabilia, & communicabilia, ut verum fatear, magis videtur diviſio nominis, quam rei. Nec enim ſcientia Dei cum ſcientia humana magis convenit, quam canis, ſignum cœleſte, cum cane, qui eſt animal latrans, & fortè adhuc multo minus.

Autoris propria Divisio.

Nos verò hanc damus divisionem. Attributa Dei alia sunt, quæ actuosam ejus essentiam explicant, alia, quæ quidem nihil actionis, sed ejus modum existendi exponant. Hujus generis sunt, unitas, æternitas, necessitas &c. Illius verò intelligentia, voluntas, vita, omnipotentia &c. Hæc divisio satis clara & perspicua est, & omnia Dei attributa complectitur.

CAP. XII.

De Mente Humana.

TRansеundum jam est ad substantiam creatam, quam in extensam & cogitantem divisimus. Per extensam materiam sive substantiam corpoream intelligebamus. Per cogitantem vero mentes humanas tantum.

Angelos non esse Metaphysicæ, sed Theologicæ considerationis.

Et quamvis Angeli etiam creati sint, quia tamen lumine naturali non cognoscuntur, ad Metaphysicam non spectant. Eorum enim essentia & existentia non nisi per revelationem notę sunt, adeoque ad solam Theologiam pertinent, cujus cognitio cum sit prorsus alia, sive toto genere diversa à cognitione naturali, nullo modo cum illa miscenda est. Nullus igitur exspectet nos de angelis aliquid dicturos.

Mentem humanam non esse ex traduce, sed à Deo creari: at, quando creatur, nescivi.

Redeamus ergo ad mentes humanas, de quibus jam pauca restant dicenda, sed tantum monendum, nos de tempore creationis mentis humanæ nihil dixisse, quia non satis constat, quo tempore Deus ipsam creat; cum sine corpore possit existere. Hoc satis constat, illam non esse ex traduce; nam id tantum locum habet in rebus, quæ generantur, nempe in modis alicujus substantiæ: substantia autem ipsa generari non potest; sed tantum à solo Omnipotente creari, ut satis in præcedentibus demonstravimus.

Quo sensu anima humana sit mortalis.

De ejus vero immortalitate ut aliquid addam. Satis constat nos de nulla re creata posse dicere, quod ejus natura implicet, ut à potentia Dei destruatur: nam qui potestatem habuit

buit rem creandi, etiam poteſtatem habet ipſam deſtruendi. Adde, quod jam ſatis demonſtravimus, nullam rem creatam ſua natura ne momento quidem poſſe exiſtere; ſed continuo à Deo procreari.

Verum, quamvis ita res ſit, tamen clarè & diſtinctè videmus, nos nullam ideam habere, qua concipiamus ſubſtantiam deſtrui, ſicut habemus ideas corruptionis & generationis modorum: clarè enim concipimus, ubi ad corporis humani fabricam attendimus, talem fabricam poſſe deſtrui; & non æque, ubi ad ſubſtantiam corpoream attendimus, concipimus ipſam annihilari poſſe. Denique Philoſophus non quærit id, quod ſumma potentia Deus poteſt facere, ſed de rerum natura ex legibus, quas Deus ipſis indidit, judicat; quare id judicat fixum ac ratum eſſe, quod ex illis legibus fixum eſſe ac ratum concluditur; quamvis non neget, Deum illas leges & cætera omnia mutare poſſe; Quapropter nos etiam non inquirimus, ubi de anima loquimur, quid Deus facere poſſit, ſed tantum quid ex naturæ legibus ſequatur. *Quo vero ſenſu immortalis.*

Cum autem ex ipſis clarè ſequatur ſubſtantiam, nec per ſe, nec per aliam ſubſtantiam creatam deſtrui poſſe, ut jam antehac, ni fallor, abunde demonſtravimus, mentem eſſe immortalem ſtatuere cogimur ex legibus naturæ. Et ſi rem adhuc penitius introſpicere volumus, evidentiſſimè demonſtrare porerimus, illam eſſe immortalem. Nam, ut modo demonſtravimus, animam immortalem eſſe, ex legibus naturæ clarè ſequitur. Leges autem illæ naturę ſunt decreta Dei lumine naturali revelata, ut etiam ex antecedentibus evidentiſſimè conſtat. Decreta deinde Dei immutabilia eſſe, jam etiam demonſtravimus. Ex quibus omnibus clarè concludimus, Deum ſuam immutabilem voluntatem circa durationem animarum hominibus non tantum revelatione, ſed etiam lumine naturali patefeciſſe. *Illius immortalitas demonſtratur.*

Nec obſtat, ſi aliquis objiciat, Deum leges illas naturales aliquando deſtruere ad efficienda miracula; nam plerique ex pru- *Deum non contra, ſed ſuprà na-*

turam agere, & quid hoc ſit ſecundum naturam.

prudentioribus Theologis concedunt, Deum nihil contra naturam agere, ſed ſupra naturam; hoc eſt, ut ego explico, Deum multas etiam leges operandi habere, quas humano intellectui non communicavit, quæ ſi humano intellectui communicatę eſſent, æque naturales eſſent, quam cæteræ.

Unde liquidiſſimè conſtat mentes eſſe immortales, nec video, quid de anima humana in genere hoc in loco dicendum reſtet. Nec etiam de ipſius functionibus ſpeciatim aliquid reſtaret dicendum; niſi argumenta quorundam Authorum, quibus efficere conantur, ut id, quod vident & ſentiunt, non videant neque ſentiant, me invitarent ad ipſis reſpondendum.

Cur aliqui putent, voluntatem non eſſe liberam.

Putant aliqui ſe poſſe oſtendere, voluntatem non eſſe liberam; ſed ſemper ab alio determinari. Atque hoc inde putant, quia per voluntatem intelligunt quid ab anima diſtinctum, quod ut ſubſtantiam conſiderant, cujus natura in eo ſolo conſiſtat, quod ſit indifferens. Nos autem, ut omnem amoveamus confuſionem, rem prius explicabimus, quo facto facillime eorum fallacias argumentorum detegemus.

Quid ſit voluntas.

Mentem humanam diximus eſſe rem cogitantem; unde ſequitur illam ex ſola ſua natura, in ſe ſola ſpectata, aliquid agere poſſe, videlicet cogitare, hoc eſt, affirmare & negare. Hæ vero cogitationes, vel determinantur à rebus extra mentem poſitis, vel à ſola mente; quandoquidem & ipſa eſt ſubſtantia, ex cujus eſſentia cogitante multæ actiones cogitativæ ſequi poſſunt, & debent. Actiones autem illæ cogitativæ, quæ nullam aliam ſui cauſam agnoſcunt, quam mentem humanam, *volitiones* vocantur; Mens vero humana, quatenus concipitur, ut cauſa ſufficiens ad tales actiones producendas, *voluntas* vocatur.

Dari voluntatem.

Quod autem anima talem potentiam habeat, quamvis à nullis rebus externis determinetur, commodiſſimè explicari poteſt exemplo aſinæ Buridani. Si enim hominem loco aſinæ ponamus in tali æquilibrio poſitum, homo, non pro re cogitante, ſed pro turpiſſimo aſino erit habendus, ſi fame & ſiti pereat.

pereat. Deinde etiam idem liquet ex eo, quod, ut antehac diximus, etiam de rebus omnibus dubitare, & non tantum ipsa, quæ in dubium revocari possunt, ut dubia judicare, sed tanquam falsa explodere voluimus. Vid. Cartes. Princip. part. 1. Art. 39.

Porro notandum, quamvis anima à rebus externis determinetur ad aliquid affirmandum aut negandum, non tamen ipsam ita determinari, ac si à rebus externis cogeretur; sed ipsam semper liberam manere. Nam nulla res habet potestatem ipsius essentiam destruendi; quare id quod affirmat & negat, semper liberè affirmat & negat, ut satis in quarta Meditatione explicatum est. Unde si quis quærat, cur anima hoc aut illud vult, hoc aut illud non vult, ipsi respondebimus, quia anima est res cogitans, hoc est, res, quæ ex sua natura potestatem habet volendi & nolendi, affirmandi & negandi; hoc enim est esse rem cogitantem. *Eamque esse liberam.*

Hisce sic explicatis, argumenta adversariorum videamus; 1. Argumentum tale est. *Si voluntas possit velle contra ultimum intellectus dictamen, si possit appetere contrarium bono, ab ultimo intellectus dictamine præscripto, poterit appetere malum, sub ratione mali: At absurdum est posterius. Ergo & prius.* Ex hoc argumento clarè videre est, ipsos non intelligere, quid sit voluntas; confundunt enim ipsam cum appetitu, quem habet anima, postquam aliquid affirmavit aut negavit, quod didicerunt à suo Magistro, qui voluntatem definivit, appetitum sub ratione boni. Nos vero voluntatem dicimus esse *affirmare hoc bonum esse & contra*, ut jam antehac abunde explicuimus circa causam erroris, quem demonstravimus ex eo oriri, quod voluntas latius pateat, quam intellectus. Si autem mens non affirmasset id bonum esse, ex eo quod libera est, nihil appeteret. Quare ad argumentum respondemus concedendo, mentem nihil posse velle contra ultimum intellectus dictamen, hoc est, nihil posse velle, quatenus supponitur nolle, ut hic supponitur, ubi dicitur ipsam aliquam rem judicasse ma- *Nec confundendam cum appetitu.*

lam, hoc eſt, aliquid noluiſſe; negamus tamen illam abſolute id, quod malum eſt, non potuiſſe velle, hoc eſt, bonum judicare: id enim eſſet contra ipſam experientiam: multa enim quæ mala ſunt, bona, & contrà quæ bona ſunt, mala eſſe judicamus.

Nec aliud eſſe, præter ipſam mentem.

2. Argumentum eſt vel ſi mavis 1^mum^ quia huc uſque nullum fuit. *Si voluntas, ad volendum non determinetur ab ultimo intellectus practici judicio; ergo ſeipſam determinabit. At voluntas ſeipſam non determinat, quia ex ſe & natura ſua eſt indeterminata. Hinc ſic argumentari pergunt. Si voluntas ex ſe, & ſua natura eſt indifferens ad volendum & non volendum, non poteſt à ſe ipſa determinari ad volendum: quod enim determinat, tam debet eſſe determinatum quam eſt indeterminatum, quod determinatur. At voluntas conſiderata, ut determinans ſeipſam, tam eſt indeterminata, quam eſt conſiderata eadem ut determinanda: nihil enim ponunt adverſarii in voluntate determinante, quod non idem ſit in voluntate aut determinanda, aut determinata, neq; vero aliquid hic poni poteſt. Ergo voluntas non poteſt à ſe ipſa ad volendum determinari. Si non à ſe ipſa: Ergo aliunde.* Hæc ſunt ipſiſſima verba Heereboordii Profeſſoris Leidenſis, quibus ſatis oſtendit ſe per voluntatem, non mentem ipſam intelligere; ſed aliquid aliud extra mentem, aut in mente, veluti tabulam raſam omni cogitatione carentem, & capacem cuivis picturæ recipiendæ, vel potius tanquam pondus in æquilibrio, quod à quolibet pondere in utramvis partem pellitur, prout pondus adventitium determinatum eſt; vel denique aliquid, quod nec ipſe, nec ullus mortalium ulla cogitatione aſſequi poteſt. Nos modo diximus, imò clarè oſtendimus, voluntatem nihil eſſe præter mentem ipſam, quam rem cogitantem vocamus, hoc eſt, affirmantem & negantem; unde clarè colligimus, ubi ad ſolam naturam mentis attendimus, eam æqualem poteſtatem habere affirmandi & negandi; id enim, inquam, eſt cogitare. Si nos itaque ex eo, quod mens cogitat, concludimus, ipſam poteſtatem habere affirmandi & negandi; cur igitur cauſas quærimus adventitias

effi-

efficiendi id, quod ex ſola natura rei ſequitur. At dices, ipſa mens non magis eſt determinata ad affirmandum, quam ad negandum; ideoque concludes, nos neceſſariò cauſam quærere debere, qua ipſa determinetur. Sed ego contra argumentor, ſi mens ex ſe & ſua natura tantum eſſet determinata ad affirmandum (quamvis impoſſibile ſit hoc concipere, quamdiu ipſam rem cogitantem eſſe cogitamus), tum illa ex ſola ſua natura tantum affirmare, nunquam vero, quamvis concurrant quotvis cauſæ, negare poſſet: Si vero neque ad affirmandum, neque ad negandum determinata ſit, neutrum facere poterit: ſi denique ad utrumque habet poteſtatem, quod habere modo oſtendimus, utrumque efficere poterit ex ſola ſua natura, nulla adjuvante alia cauſa, quod clarè conſtabit iis omnibus, qui rem cogitantem, ut rem cogitantem, conſiderant; hoc eſt, qui attributum cogitationis à re ipſa cogitante, à qua non niſi ratione diſtinguitur, nullo modo ſeparant, quemadmodum adverſarii faciunt, qui rem cogitantem ab omni cogitatione denudant, ipſamque ut materiam illam primam Peripateticorum fingunt. Quare ad argumentum ſic reſpondeo, & quidem ad majorem. Si per voluntatem intelligit rem omni cogitatione ſpoliatam, concedimus voluntatem ex ſua natura eſſe indeterminatam: At negamus, voluntatem eſſe quid omni cogitatione ſpoliatum, & contra ſtatuimus eſſe cogitationem, hoc eſt, potentiam ad utrumque, nempe ad affirmandum & ad negandum, qua certè, nihil aliud intelligi poteſt, quam cauſa ſufficiens ad utrumque. Deinde etiam negamus, quod, ſi voluntas indeterminata eſſet, hoc eſt, omni cogitatione ſpoliata, alia aliqua cauſa adventitia, quam Deus infinita ſua potentia creandi, ipſam determinare poſſet: Rem enim cogitantem ſine ulla cogitatione concipere, idem eſt, ac rem extenſam ſine extenſione concipere velle.

Cur Philoſophi mentem cum rebus corporeis confuderint.

Denique ne opus ſit, hic plura argumenta recenſere, moneo tantum, Adverſarios, quia voluntatem non intellexerunt,

nec ullum clarum & distinctum mentis conceptum habuerunt, mentem cum rebus corporeis confudisse: quod inde ortum duxit, quia verba, quæ ad res corporeas usurpare solent, ad res spirituales, quas non intelligebant, significandas usurparunt; assueti enim fuerunt, corpora illa, quæ à causis externis æquipollentibus, & planè contrariis, versus contrarias partes propelluntur, quapropter in æquilibrio sunt, indeterminata vocare. Cum igitur voluntatem indeterminatam statuunt, ipsam etiam, ut corpus in æquilibrio positum, videntur concipere; & quia illa corpora nihil habent, nisi quod à causis externis acceperunt, (ex quo sequitur illa semper à causa externa determinari debere) idem in voluntate sequi putant. Sed quomodo res se habeat, jam satis explicuimus, quare hic finem facimus.

De substantia vero extensa jam antehac satis etiam locuti sumus, & præter has duas nullas alias agnoscimus. Quod ad accidentia realia attinet, & alias qualitates, satis illa explosa sunt, nec opus est, iis refellendis, tempus impendere, quare hic manum de tabula tollimus.

FINIS.